Setom. con Bueru

Masson Booth

BARTHOLOMAEI LATOMI ADVERSVS MARTINVM BVC-cerum, de controuersijs quibusdam ad religionem pertinentibus, altera plenaq; DEFENSIO.

Capita sequens pagina indicabit.



Coloniæ ex officina Melchioris Noueſiani. *Anno M. D.* XLV.

Capita sunt hæc.

De dispensatione eucharistiæ.
De inuocatione diuorum.
De cœlibatu sacerdotum.
De authoritate ecclesiæ.

His accessit criminum depulsio, quæ primo loco tractatur.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC domino, Ioanni Ludouico, Archiepiſcopo Treuirenſi, ſacri Imp. Ro. per Galliam archicancellario, principi Electori, &c. domino ſuo colendiſſimo, Bartholomæus Latomus ſalutem.

QVANTAS aduerſum me copias Buccerus in aciem coegerit, antiſtes reuerendiſſime, quantaq; vi atq; iniuria ſententiam meam de religione, quam ipſe familiariter a me efflagitarat, oppugnauerit, minime obſcuræ eſſe puto ijs, qui librum illius nuper contra me æditum legunt. Mihi certe præter expectationem accidit, vt cum illo in tam iniquum certamen venirem: non quod noua atq; inſolẽs res ſit, ſtudioſos literatoſq; homines inter ſe ſcriptis decernere, ſed cum genus literarum ſtudiaque ipſa profeſſionum inter nos diuerſa ſint,

cumq; ego nullam illi iustam oppugnationis causam sciens praebuerim, nunquam futurum esse putaui, vt me non modo hostem sibi deligeret in decertanda causa religionis, quae non nisi maximis praestantissimisq; patronis deferenda erat, sed nomen etiam existimationemq; meam falsis inuidiosisq; criminationibus premere conaretur. Etenim suscepta veritatis reprehensione, quam contra patrum sententiam, contraq; longissimam ecclesiae consuetudinem ex adumbrata scripturarum authoritate fulcire nititur, in me perpetua insectatione ita fertur, vt praeter alias calumnias apertissimas, quas in me inuidiae causa obijcit, oppugnatorem euangelij, defensorem concubinatus, impietatis atq; idololatriae assertorem & constituere me, & verbo interim appellare minime vereatur. Quę quidem cum atrocissima sint, cumq; falso in me & calumniose intentata, quid mihi faciendum fuisse censes? nisi vt opposita defensione depellerem iniuriam, causamq; non meam tantum, sed etiam ecclesiae pro virili mea ita agerem, vt ne victa ab errore veritas, a temeritate religio atq; innocentia expugnata esse viderentur. Equidem semper abhorrui ab ijs contentionibus, quae prolatae in publicum plus offensionis atq; inuidiae, quam verae vtilitatis apud optimum quenq; habere solent. In hoc

vero

vero certamine detrectando, quæ ſatis digna excuſatio ignauiam meam tueri poſſit? ſiue cauſam ipſam ſpectes, coniunctam communi cum periculo, ſiue atrociſſimorum criminum obiectionem? Enimuero res talis agitur, quæ ad veritatem religionis, ad pacem eccleſiaſticam, & ad ſalutem vniuſcuiuſqꝫ pertinet: in qua quod præſidij quiſqꝫ poſſit, niſi in medium conferat, pro deſertore merito habeatur. Mihi autem nominique meo eiuſmodi perſona imponitur, vt aut refellendum ſit impietatis crimen, aut ſi taceam, fateri culpam apud aduerſarios videar. Quis igitur defenſionem hanc meam improbet? aut quis non iuſtam potius atqꝫ neceſſariam eſſe confiteatur? Niſi forte quia paratior eſt aduerſarius in hoc campo, gratiaque apud quam plurimos & authoritate me ſuperat, idcirco tacendum mihi fuit: diſſimulandaqꝫ iniuria, quæ hoc ipſo non meæ tantum exiſtimationi grauior, ſed etiam eccleſiæ dei infeſtior accideret. Non enim ignoro hoc dici a multis, nec deeſſe, qui quaſi offenſi temeritate mea, grauiter ferãt hoc certamen oblatum eſſe Buccero, factumque meum improbent. Quibus ego ſane ita reſpondeo, me neqꝫ ingenij mei fiducia, neqꝫ literarum opinione vlla ſuſcepiſſe hanc defenſionem, ſed cauſa ſola fretum, quam non veram modo atqꝫ inuictam, ſed etiam

probabilem esse semper iudicaui. Itaque minimè contempsi aduersarium, sed neq; horrui vnquam, Dauidem spectans contra gygantem, cuius exemplum vtinam imitari possim, rudis contra veteranum, imbellis contra multarum palmarum decertatorem. Etenim meam inopiam nunquam dissimulaui, neq; mearum virium æstimatione, vlisue opibus huc adductus sum, quas scio quam tenues, ac propemodum nullæ sint, si cum aduersarij copijs conferantur. Quid igitur est? Num idcirco patiar me opprimi indefensum? nomenq; meum traduci falsa inuidia? Nihil præsidij a labore atque industria? nihil ab ecclesiastica authoritate roboris atque consilij petam? quæ certe aut sola est in terris, quæ de omni pietate ac religione recte iudicat, aut si hæc non est, non video ad quem portum veritatis extra eandem tuto atq; salubriter accedi possit. Tibi igitur gratias immortales ago patrone colendissime, qui studijs meis peperceris in hoc opere, tantumq; ocij ab aulicis publicisq; negocijs mihi concesseris, quantum, si non ad explicandam pro dignitate hanc causam, saltem pro conatu ac sedulitate qualitercunq; agendam, satis esse potuit. Etenim temporum interualla cum tuis ratiōibus partitus sum, vt quicquid aulicis occupationibus per indulgentiam tuam decederet, eodem beneficio

ficio tuo in hanc operam impenderem. Quid restat igitur, nisi vt te præsidem quoque atque patronum huic æditioni nuncupem? te inquam, qui episcopali dignitate preditus catholicam religionem ita amplecteris, vt magnum presidium ecclesiæ tuę his periculosissimis temporibus in tua pietate atque constantia positum esse minime dubitetur. Etenim mens pia, ac veri rectique tenax, animus pro religione occumbere etiam paratus, qualem te pijs præstant? qualem pastorem hoc tempore commendant populo? Nemo idoneus est ad pericula, qui facile deijcitur. Tua virtus tanto illustrior apparebit, quanto maioribus tormentis oppugnabitur. Adesto igitur huic quoque dimicationi meæ, & quantum potes, studio adiuua, vt cum cæteris fortasse rebus in aduersarium steterit oratio mea, tua quoque authoritate munita & prodire in lucem audacius, & contra inimicorum inuidiam consistere minime vereatur. Vale.

Confluentiæ Nonis Decembribus. M. D. XLIIII.

BARTHOLOMAEI LATOMI ADVERSVS MARTInum Buccerum de capitibus quibusdam catholicæ religionis altera plenaque DEFENSIO, & primo

CONTRA FALSAM ADVERSARII CRIminationem.

ETSI constitueram Buccere, nihil amplius respõdere tibi ad ea, quæ semel a me breuiter, vere tamen catholiceque responsa sunt, sed parcere occupatiõibus meis, quæ nihil fere tẽporis habent in hac aulica ciuilique vita, quod non assiduis negocijs tribuendum sit: tamen cum videam te tanto conatu mouere contra me, magnoque & operoso volumine non solum vrgere certamen, quod excitatum per te, aliorum culpa propagatum est, sed etiam nomẽ existimationemque meam appetere: non putaui dissimulandum esse id, in quo vertitur pe-

riculum innocentiæ meæ, ſed reſpondẽdum huic
etiam iniquiſſimo libro tuo, & quantum poſſim,
errorem a cauſa, a meo aũt nomine iniuriam con-
tumeliamq; depellere. Ac primum quidem illud
ſtatutum mihi, teſtatumq; eſſe volo, nihil in hac de
fenſione mea ſcripturum me, quod ab inimico in
te animo profectũ ſit: ſed cauſam ſicut par eſt, resq;
ipſa poſtulat, acturum eſſe. In quo tu quidem etſi
nihil prætermiſiſti, quod ad inuidiam offenſio-
nemq; nominis mei pertinere arbitratus ſis, tamen
ego rationem habebo honoris atq; officij mei, effi
ciamq; in hoc latiſſimo dicẽdi campo, vt remiſiſſe
potius aliquid de facultatibus meis, quam in te pe
tulans parumq; modeſtus fuiſſe videar. Quod ſi
duriora fortaſſe quędam habebit oratio, aut ſi qua
parte vehementior erit, quam pacato quietoq; ani
mo cõuenire videbitur, hoc imputabis non volun
tati meæ, ſed cauſæ, quæ cum per ſe magnarum re
rum contentionem, magnas offenſiones, magna de
niq; & communia pericula cõtinet, tum vero cum
inuidia nominis mei ita abs te cõiuncta eſt, vt quã-
uis quæ ſcribuntur a te, nihil detrahant exiſtimati-
oni meæ apud bonos viros optime collocatæ, ta-
men cũ hæc ipſa reputo, ſenſum cogitationis meæ
ſine dolore atque moleſtia atingere non poſſunt.
An vero tu me tam lento diſſolutoq; animo eſſe

putas.

putas,vt nō dico ponere in defenſione mea, ſed in prima ſtatim libri tui pagina legere æquo animo poſſim,quæ tu ſcribis de cauſa & origine contentionis noſtræ?quæ etſi rei propemodum ita geſtæ narrationem continent,tamē verbis ita deprauantur abs te,vel certe orationis tuæ Logodædalo,vt ſine odio mei atq; improbatione legi non poſſint. Studium veri tribuis mihi,item candorem,fidem, humanitatē, eadēq; mox adimis, quaſi errauerint in me hoīes,fucūq; ego tibi Argētinę ſodalibusq; tuis fecerim. Addis deinde petulantiā ſermonū diſputationūq; mearę apud ciues meos,cū tu Bonnæ eſſes, quę cauſam ſcilicet p̄buerit tibi ſcribēdi admonēdiq; mei,tāetſi ea re adeo nihil ꝓfeceris,vt irritaris etiā me ad oppugnationē veritatis,latentēq; in me fraudē ſumma incēſam cupiditate in aptum prouocaueris. Quid? q̊d in vltima parte præfationis tuę,quam totam ad inuidiā meam cōparaſti,improbiſſimū calūniatoris crimē ꝟbis atrociſſimis in me defigis, excuſans ſcilicet hoc noīe apologiæ tuę acerbitatē,quaſi ego te tuoſq; falſo confictiſq; mēdacijs inſectatus ſim,qui totus locus cū maniſeſtiſſimā in me calūniam tuā in oculis atq; in cōſpectu oīm cōſtituat,poteſt ne,nō dico refelli a me placido qetoq; animo,ſed legi oīno ſine offenſiōe a q̊q̄, q ingenio paulo liberaliori ac mēte incorrupta

prædictus ſit? qui ſi videat, qua flagitatione tua impulſus ad reſpondendum primæ epiſtolæ tuæ, ex qua hæc omnia nata ſunt, acceſſerim, qua ſecuritate offenſionis, atq; adeo libertate ſcripſerim, quæ inter nos manſura videbantur, quis caſus deinde hæc ipſa, vel potius cupiditas hominum euulgauerit, quid putas ſtatuet de improbitate certaminis huius? vtrum iudicabit in ſcribendo modeſtiorem fuiſſe? te, qui ꝓuocaueris me prior, & mox in refellenda reſponſione mea neque vim vllam a cauſa, neq; a meo nomine contumeliam abſtinueris? An me, qui obſequens petitioni tuæ, cauſam tractaui libere, apertaq; fronte, ſicut tu poſtulaueras, & tamen curſum orationis meæ ita temperaui ab iniuria, vt doctrinam, quæ tibi cum alijs communis eſt, item mores & facta tuorum acriter reprehenderim, pepercerim tibi nominiq; tuo, omniq; in parte contentionis meæ ſtili aciem a latere, vt ita dicam, corporeq; tuo auerterim? Atq; hæc præfationis tuæ in me ſunt vulnera. Quid? quod toto in decurſu voluminis tui omnibus in locis ac paginis me amarulentis contumelioſisq; vocibus inſectaris, modo temeritatem atq; audaciam mihi, modo vanitatem exprobrans? Poteſt'ne fieri, vt in hac immodica procacitate tua repellẽda pacato ocioſoq; animo cõſiſtam? remq; ita geram tecum,

quasi non vana atq; impotens sit tua insultatio, sed apta in me debitaq;? dignusq; ego tali cõtumelia? qui si dignus essem Buccere, tamen parcere debebas nomini meo, rationemq; habere, si non innocentiæ meæ, saltem grauitatis ac moderationis tuę, quæ propria est theologi, quæ cum in te tuiq; ordinis viris animaduertitur, mirum est, quantam approbationem hominum, quantos plausus etiam apud inimicos excitet.

Sed tu culpam refers in me, & grauiter accusas acerbitatem meam, qua in te tuosq; inuectus sim. Si in te dicis Buccere, nego. si in tuos, vide num causam oblatam egerim potius, quam quenq; hominẽ appetiuerim. Deinde illud considera, quo consilio, quoue animo id factum sit, atq; adeo quid omnino propositum fuerit mihi in illa epistola, voluerim ne traducere & insectari te, te inquam, in quem nonnulla fortasse ab inimico dici poterant? an potius hoc agere, quod tu a me postulaueras, & causam, quam ipse offerebas, ita tractare, vt quid sentirem de singulis rebus, quæ in controuersia erant, quidq; sentiendum putarem, aperte & sine fuco explicarem. Mittebas enim ad me libellum Philippi, qui contra Clerum Coloniensem exierat, in eoq; quid desiderarem maxime, aut quid reprehendendum putarem, orabas sedulo, vt ad te rescriberem,

berem,cum nemine cõmunicaturum eſſe te,quicquid ſcripſiſſem,fidẽ amici præſtaturum eſſe. Sed in eadem epiſtola primũ & a capite ipſo admonebas me officij modeſti ac pij hominis,qui de religione & cauſa euãgelica iudicare vellet. Deinde cauſam reddebas admonitionis tuæ,q̃d ad te quędam de ſermonibus meis delata eſſent, minime cõſentanea ijs,quæ aliqñ Argentinæ inter nos contuliſſemus. Quæ quidem oratio omis etſi nihil acerbum habebat,tamen eiuſmodi erat, vt notaret arrogantiam temeritatemque meam in aſſertionibus quibuſdam quaſi contra doctrinam veritatis,tum vero inconſtantiã mihi ac leuitatẽ aperte exprobrabat,quaſi nunc aliud Confluentiæ, q̃ olim apud te Argentinæ ſenſiſſem. Hæc cũ pungerẽt animum meũ,vt qui nullius fraudis mihi cõſcius erã, cũq; tu flagitares a me rñſionem liberam, & quæ priuatim inter nos manſura eſſet, putaui aliquid reſcribendum eſſe,diluendaq; ea, quæ nõ odioſe minus quam falſo in me conferebant. Itaq; ſumpto calamo quãuis vrgerent aliæ occupationes, tñ rẽ paucis pro tẽpore ac familiariter tecum agere inſtitui. Hic teſtor deũ immortalẽ, nullius certaminis me cupidũ fuiſſe,nullam ne cogitationẽ quidem habuiſſe epiſtolæ ꝓlixioris. Sed neſcio quomodo creſcente materia ꝓcurrit oratio,& ante pene in cõtentionem

tionem abiјt,quam ipse sensi.Illud certe vigilanter, q̊d res ipsa testat̃, a me custoditũ est, ne vlla in parte tecum potius quam cũ causa certamen suscepisse,neue vllum genus contumeliæ in p̲sonam tuam strinxisse viderer.Nõ deerant in oẽm partem quę dici poterãt,sed ego peperci tibi,& rẽ mihi cũ causa,nõ cum hoĩe vllo esse putaui.Quod si quædã in te tuosq́; duriora,quã decuisse putas, emissa sunt, aut si parꝛ comis blandaq́; mea fuit oratio,non mihi,sed causæ imputare debes. quæ cum maximas iniurias,vt dixi,grauissimasq́; dissensiones nõ vnius tantum ciuitatis,sed totius Germaniæ contineat,cumq́; pertineat ad curam om̃ium,ad nostrum vniuscuiusq́; salutis periculum atq́; discrimen: tu queñq̃ tã leni sedatoq́; ingenio esse putas, vt scribere aut etiam cogitare quicq̃ de ea sine motu animi,aut sine maxima etiam perturbatione possit?

Sed offendit te,vt audio,æditio epistolę,in q̃ omnes etiã sectatores tui, & in his amici mei,offensi sunt,q̊d res in lucẽ exierit.Itaq́; tu hoc ip̃m inuidiose insectaris in p̃fatione tua. cũq́; Georgio a petra Decano Cõfluentino,quẽ honoris causa noĩo,culpã imputes,tñ me q̊q́; a crimine alienũ esse nõ vis, quẽ ais misisse ad te imp̃ssum libellũ nullis additis literis,ex q̃ satis appareat ędition ẽ illã a me improbatam non fuisse. Quid?an non satis ipse purgas (Aeditio epistolæ Latomianæ.)

me

me his verbis,quanuis omnibus ad inuidiam com paratis? Decanus ad Lynzium occurrit tibi,mandata mea exposuit, literas ostendit. At quid scriptum erat in literis? nempe vt ita meo nomine tecum ageret,ne ego viderer editionis esse cupidus. Hic certe vides, quæ sententia mea fuerit. Quid igitur necesse erat vrgere Decanum, vt quid fieri vellem, diserte diceret? an non satis loquebantur pro me literæ? quas triduo ante eadem de re ex Comitatu Dietz ad illum scripseram. Num alium etiam & certiorē testem requirebas? Quid postea factum est? Decanus ille tantillæ moræ impatiens curauit excudi Latomi scriptum Coloniæ. Quid ita? potest ne etiam defendi Decanus? vt nihil improbe hac in re, nihil sine causa fecisse videatur? Ego cum multis annis singularem cum homine amicitiam habeam, vtarꝗ eo familiariter, occupatus alijs negocijs dederam ei describendam epistolam, priusquam ad te mitteretur, vt penes me exemplum extaret. Ille vt studiosus earum rerū, quæ ad causam religionis pertinent, duobus scriptoribus collocatis, sicut postea mihi confessus est, exempla duo confecit, quorum alterum reddidit mihi, alterum sibi retinuit. Sed cum huius quoque copiam amico cuidam, inscio atque imprudente me, fecisset, ita vt legeret ille tantummodo atque redderet,

deret,

deret, clam ille, quasi rem dignam nactus, in qua fal
leret, non descripsit modo, sed etiam cum aliis qui-
busdam communicauit. Quid multa? paucis die-
bus, cum ipse Decanus forte Coloniam venisset,
comperit illic in manibus hoīm versari epistolā,
& legi a multis atque expeti. Hoc cū indicasset mihi
domum reuersus, commotus eram. sed quid face-
rem? occiderem hominem? qui suam fatebatur im
prudentiam, aliorum cupiditatem accusabat. Sed
tu culpam illi imputas, quem ais Coloniæ excudi
curauisse. Hoc si factum est Buccere, nescio, certe
iniussu meo factum est, sicut fatebitur ipse, idemque
epistola mea ad illum satis ostendit. Sed finge ita
esse. nam ego quoque idem suspicatus sum. Res
iam erat in manibus hominum, & vt fit hoc tem-
pore, a multis expetebatur. Quis igitur dubitat,
quin nihilo minus ventura fuerit in publicum? &
fortasse non incorrupte ventura, libello iam toti-
es transscripto, etiamsi Decanus cessauisset, præ-
sertim in ea vrbe, in qua plures sunt officinæ libra
riæ, a quibus quæ noua ac vendibilia sentiuntur,
exquiruntur sedulo, atque etiam precio comparan-
tur. Hic igitur si maturasset Decanus, & anteuerte
re corruptam æditionem, quę ab aliis fieret, quam
differendo bis in me peccare maluisset, quis non
excusandū de hoc facto potius, quam accusandum

 pu-

putaret? prȩsertim cum sciret ex sermone tuo pro pe Lynziū habito, te ipsum, sicut ipse fateris in prȩ fatione tua, æditurū esse, & apologiæ tuæ, quā bona iam parte cōscriptam te habere dixeras, præfixurū, id q̊d fecisti etiam, tāetsi nunc æditionē istam tam moleste feras. Nihil peccasset igitur Decanus si ipse ædidisset, neq; tu factum illius in malā partem accipere posses. Sed negat se fecisse, & cum fateatur suam imprudentiam in eo, quod crediderit amico id, q̊d cælandū fortasse fuerit, tñ studiū aliorū & cupiditatē, quæ has turbas suscitauerit, ipse quoq; non sine offensione accusat. Sed ego videor non improbasse ȩditionem, cum impressum ad te libellum sine literis miserim. Hoc enim dicitur abs te, cum in cæteris facile tua ipsius confessiōe liberatus sim. Hic igit̃ hæreo Buccere, nec a me tantum crimen depellere potero. Quid ais quȩso? ego misi ad te quicq̄? Quis meo nomine ad te pertulit? vbi & quando a me accepit? quin ædis hominem, qui hoc ausit dicere apud me? nihil refragabor, culpam agnoscam, si quisquam tam impudens repertus fuerit. Sed neque tu habes quenquam, qui hoc dicturus sit, neque si quid ab aliquo tibi oblatum est, sicut apud me Spiræ excusasti, hoc ad me pertinuit. Cur enim mitterem impressam epistolam ad te? Vt legeres? At scriptam manu mea &

statim

ſtatim ad te miſſam, cum Bonnę adhuc eſſes, nõ le geras tm̃, ſed etiam bona ex parte iam confutaras. Vt prouocarẽ te? At in armis iam eras, ſicut Decanus mihi narrabat. Cur igitur mitterẽ ad te, q̊d te habere ſciebã? cuius ad te exẽplum de manu mea miſeram? Cur aũt ſine literis mitterem? Vtiq; tam parcus eram ſcribẽdi ad amicos? an digna res non videbat̃, in qua verſiculos duos perderẽ? Satis apparet falſum eſſe, q̊d hac de re in me ſcriptũ eſt, tu amq; iacere ſuſpitionẽ, qua arguis, q̃ miſerim ad te aliq̃d, idcirco videri me nõ improbaſſe æditionẽ, cũ neq; a me quicq̃ ad te miſſum ſit, neq; ſi miſſum eſſet, tñ hoc efficiatur, q̊d tu vis, nẽpe vt cuius ne videri quidẽ cupidus apud te volueram, (vt teſtant̃ literæ meæ ad Decanum datę) eius poſtea approbator nõ ſine inuidia exiſterẽ. Non eſt igit̃ vera hæc tua Buccere ſuſpicatio, quæ ſi vera eſſet, tñ alijs, qnantũ haberet odij, iudicãdum relinquerem: nunc aũt cum vera nõ ſit, cur eã poſuiſti in præfatione tua? An vt non deeſſet criminãdi materia? Certe ignoſco tibi, ſi errore inductus es, aut deceptus ab aliq̊, qui tibi ſcriptũ meum excuſum quaſi meo noĩe obtulit: ſin de induſtria hac in re locũ inuidiæ quæſiuiſti, vide num deceat grauitatẽ tuã, ita inſtituiſſe diſputationẽ contra me, vt in ipſo veſtibulo malles in odium vocare aduerſarium, qui ali

quid ſentire auſus eſſet contra te, quam præparare ad incorruptam cauſæ cognitionem animos eorū, qui ſcripta tua lecturi eſſent.

Crimen calumnię in Lato.

Reſpondi criminibus inuidię, quam in me concitare conatus es in præfatione tua. Vnum adhuc reſtat calumniæ crimē, quod nullo modo præterire poſſum. Vt enim cuncta maledicta negligam, quæ in me in toto volumine tuo coniecta ſunt, hoc vnum certe tanti apud me eſt, vt ſine ſuſpicione parū liberalis animi diſſimulari nō poſſe exiſtimem. Etenim cum in epiſtola mea tractaſſem locum de cœlibatu ſacerdotum, ſicut tu poſtulaueras, & in fine huc delatus eſſem, vt reprehenderem petulantiam eorum, qui cum tota vita cœlibes atq; inculpati vixiſſent, nunc vt ſe primum dediſſent euangelio, vxores ducerent, ſeq; implicarēt matrimonio, quaſi impurus eſſet cœlibatus: idq; fieri non tam libidine, quam, vt multi putarēt, odio quodam veteris eccleſiæ, ne ſi perſeuerarent in priori vitæ genere, probare Papiſmum, nec regno Antichriſti renunciare viderentur. Hoc inquam cum iure reprehenderem, motus rei indignitate, quæ mihi plena odij atq; peruerſæ rationis eſſe videbatur, ardore quodam incitatus huc erupi, vt libera erectaq; voce etiam cætera cauſæ vulnera proſequerer. Hunc locum iuſta contentione a me tractatum, ſicut

aut res ipsa postulabat, tu excerpsisti de epistola mea, inque procemium tuum contulisti, quoque plus in me concitares inuidiæ, etiam ad verbum perscripsisti. Oro te Buccere, an satis non erat exagitasse hoc vlcus semel, siquidem omitti non potuit? eoque in loco, quem proprie criminibus deputaueras? An non potuisti alia vti præmunitione contra inuidiam intemperantiæ in me tuæ, quam vt odio mei firmares tibi aditum ad veri inquisitionem? meque ante causæ ingressum eiusmodi grauares præiudicio, vt improbissimam, quam omnes odisse solemus, calumniatoris personam mihi imponeres? Sed quæ tandem sunt crimina, quæ manifestissimis mēdacijs atque intolerabili rabie in te tuosque euomui? quæ conficta in tot millia hominum, in tot eximios pietate, eruditione, dignitate viros, quorum ne vllum quidem vnquam a me probari poterit? His eñ verbis in me vteris; ex quibus apparet te valde commotũ fuisse, neque vllum locum in tota epistola mea æque displicuisse tibi atque hunc, quem tanta atrocitate vlcisceris. Quod si vnum aliquod ex his, quæ tu nunquam probari posse affirmas, probauero, mendax erit Buccere criminatio tua, quæ quidem in hoc vel impotens, vel certe parum circunspecta mihi visa est, quod ne vllum quidem probari posse dixisti. Nam si

omnia dixisses, et multa probarent, satis bona esset mea cõfutatio. Nunc aũt cum oĩa non dico probari, sed certa testataq; pferri posse existimẽ, & tu nullum dixeris, quantã putas fore confutationis meæ vim, si oĩa pbauero? quantam criminatiõis tuæ impudẽtiam, si ne vllũ quidem relictum erit? Sed tandem ad crimina. Hęc me aperta liberaq; voce protulisse non nego: Fateor multa esse in ecclesia, quæ emendationem desiderant, vosq; in hoc laudo, q̃d multa fortiter reprehenditis, demonstratis vitia, doctrinam puram & mores incorruptos a Clero exigitis. Hæc non solum crimen adhuc nullum habẽt Buccere, sed etiam laudes vestras continẽt. Quæ sequuntur, commotiora sunt: Num etiam eousq; progrediemini, vt eripiatis nobis sacramenta salutis? turbetis ordinem ecclesiæ? disciplinam veterum supplantetis? vos solos faciatis iudices? omnem omnium temporum authoritatem cõuellatis? Hæc prolata hũc in modum etsi asperitatem habent, tamen intoleranda videri non debent ijs, qui alieni non sunt a factis istis, sed sese hoc nomine iampridem pene orbi terrarum notos fecerũt. Quid enim horum negari potest? quod aut non impressum sit libris vestris, aut re ipsa perfectũ?

Sacramenta — Sacramenta septem multis seculis & prodidit ecclesia catholica, & maxima cum religione in hanc

vsq;

vſq; diem frequentauit. Vos tandem quot reliquiſtis? aut quem vſum eorum retinetis in veſtris eccleſijs? quam deniq; & qualem rerum ſubiectarum veritatem conſtituitis? Legantur libri, nō tui modo Buccere, ſed etiam Lutheri, Zuinglij, Oecolampadij, præſertim de ſacramento Euchariſtiæ, legatur confeſſio veſtra Auguſtana de numero, & partibus, & diſpenſatione ſacramentorum: nō opinor negabis, quin longe alia de eiſdem ſit tua tuorumq;, alia hactenus fuerit eccleſiæ vniuerſalis ſententia. Vſum quoq; ſi ſpectaueris, oīno fateare neceſſe eſt, neq; ſacramētum cōfirmationis amplius locum habere apud vos, neq; ordinationem ſacri miniſterij, neq; infirmorum vnctionem, ſublatamq; eſſe de medio non ſolum horū cōſuetudinem, quæ ad hoc vſq; tempus religioſiſſime obſeruata fuit, ſed nomen etiam & venerationem. Quid de diſcrimine Cleri ac plebis, de authoritate prælatorū, de diſciplina totius eccleſiæ dicam? nunquid hic etiam probationem requiris? ſi hæc turbata, peſſundata, ſublata non ſunt per vos, cur in tot ſectas hodie diuiſa eſt eccleſia? cur non obeditur epiſcopis? cur non antiquitati potius, quam nouis doctrinis? maioribus, qui ante ſexcentos annos vixerunt, quam tibi, quam Luthero creditur? Poteſt ne his moribus ſtare ordo? valere diſciplina? manere

immi-nuta.

Peſſun-data au-thoritas eccleſię.

autho-

authoritas ecclesiæ? Iudicium vero de his rebus omnibus cui obsecro detulistis iam totis viginti annis? cui ordini permisistis? Vrgeo fortasse nimium, & iterum acerbus tibi videor. Sed quid faciam? possum ne aliter, quæ vera sunt, quæ nota testataq; omnibus, ponere in defensione mea? itaq; agere tecum hanc causam, vt cum mihi referre liceat vices criminationi tuæ, tamen non vtar iure meo, sed tantummodo iniuriam a me calumniãq; depellam? Iam vero de præsenti statu & infœlicitate Germaniæ, de oppressa religione veteri, de licentia populi, de prauis corruptisq; moribus huius ætatis, quam minime obscurum est, his præsertim, qui viuũt in Germania. Vtinam in his vanus sim Buccere, æquo animo feram mendacij exprobrationem. Sed heu temporum conditionem. nimis vera tenentur hæc omnia, quæ iampridem & vidimus ipsi, & videmus hodie, nimiumq; malorum experta est hæc ætas nostra. Etenim ex quo tempore moueri cœpit religio, nulla tranquillitas, nulla animorum coniunctio fuit in nomine Germanico. Primum enim Lutherani, deinde Sacramentarij, mox Anabaptistæ, vt cęteros omittam, statum publicum perturbauerunt. Hinc motus in ciuitatibus graues, vexationes templorum atq; imaginum, contemptus ordinis ecclesiastici, vis & ereptio-

Calamitas Germaniæ.

Sectæ.

ptio-

ptiones bonorum. In quibus tamē cessatum non fuit, sed ordinem politicum inuasit rustica seditio. Arma omnibus agris cōtra magistratus, contra nobilitatem sublata sunt. Septimus enim & decimus annus nūc agitur, cum ad tumultum illum primum trepidauit Germania, mox tanta clades insecuta est, vt desideratis cultoribus, agri multis in locis deserti iacuerint. Quid memorem tumultus ac ꝑpe ciuiles pugnas in Heluetijs? quid Anabaptistarum insaniam? qui occupata vrbe munitissima, audax & fanaticum genus hominum regnum etiam sibi constituere conati sunt. Quātum putas hic probri datū esse nomini Germanico? quantum in delēda peste illa exhaustum laboris? sanguinis effusum? Non referam hic factiōes crebras eorundem hominum, quæ multis in locis pene sero patefactæ, periculose compressæ sunt: non improbos spiritus, nec flagitiosam libidinem, quę iampridem contagione quadam eousqꝫ peruasit, vt edictis nouis legibusqꝫ seuerissimis coercenda fuerit. His igitur malis tantis cum infecta iampridem implicataqꝫ sit Germania, cum æstuet occultis factionibus, simultatibus principū intestinisqꝫ discordijs diuulsa sit, cum ad nouos subinde motus, ad noua bella trepidet, cum, id quod grauissimum est, hoc tēmpore vrgētem in limine ac pro-

Tumultus rusticorum.

Anabaptistæ.

pe in conspectu ipso grassantē Turcam, nostrisq; ex malis tempora sua captantem extimescat, tu mihi irasceris, quod dolui hāc vicem in epistola mea liberius? quod de iniuria horum tempor, de seculi huius infœlicitate grauius cōquestus sum? Nec tn̄ hęc mala aut tibi Buccere, aut tuis imputo, neq; accuso hic quenq̄, nisi ad quem cōsilia ista factaq; pertinent. Amentium eīn & sceleratorū, non hoīm quędam sunt propria. Illud tn̄ cōfitendum est, originem certe vel occasionem horum malorum ab ijs extitisse, qui nouas doctrinas, nouamq; opinandi licentiam inuexerunt in Germaniam. Quid enim horum ante quatuor & viginti annos auditum est? Mota semel quæstione religionis, maiorumq; authoritate posthabita, necesse fuit quenq; sequi suam sententiam, quodque putabat doctissimus quisq;, non quod verum erat, coegit res ipsa in maximis & grauissimis quæstionibus apprehendere. Sed pergo ad reliqua. Illud maximum & inexpiabile peccatum mihi obijcitur, in quo non mentitus sum quidem, sicut tu ipse apud me Spiræ confessus es, sed quod ausus sum tamen scribere de tuis, q̊d ecclesias diripuerint, exciderint monasteria, expulerint monachos, vgines polluerint, atq; etiam nunc iudicia tollere conent̄, ne quid sit, quod pro talibus factis sibi metuēdum esse putēt.

Tēplorum excidia.

O

O calumniæ meę temeritatē & impudentiā Buccere, qui talia confingere ausus sim. Quis vnq̃ ꝓbare ista poterit? Eqdem scripsisse me fateor, necꝙ inficiari possum, fretus ea, quæ me fefellit, æquitate atqꝫ etiā humanitate tua. Non eñ putabam futurꝫ esse, vt hæc aliq̃n in lucē peruenirent, multo minus existimabam te hoīem theologū, veritatisqꝫ adsertorē, tā iniq̊ animo laturꝫ esse ea, quę verissima essent, quæ paterēt oībus, quę edictis etiā nouis in Impio publicaqꝫ seueritate notata dānataqꝫ essent. Sed tñ quæro abs te, fatearis ne vera esse hæc, & designata a quibusdā ex vestris? an adhuc probationem a me & facti fidem reqras? Ego non video, quid argumenti re ipsa certius proferri possit. nec in iure probanť ea, quæ aut notoria sunt, aut cōfessa partibus, aut semel iudicata. Etenĩ hęc facta esse viderūt multi, & conquerunť ij, q iniurias pertulerunt. Vestri aūt minime negāt, sed defendūt libellis suis ea, q̃ negari nō possunt. putantqꝫ ius esse spoliādi papisticos, verisqꝫ dñis, hoc est, euāgelicis, ecclesiastica bona recuperādi. Quid porro iudicatū sit de qbusdam causis, quæ in iudiciū deductæ sunt, notū est ijs, q bannum impiale adhuc metuunt. Ex q̊ factum est, vt alij postea tam obstinate recusarint iudices, vt iudicium prope ipsum sustulerint. Sed hæc ita esse fateris opinor, & in rebus manifestis non pu-

 tas

tas pernegandum esse. Illud te commouet, quod cum vos, vos inquã (nam hoc verbo vsus sum) fecisse hæc scripserim, videatur oratio mea in te multosq; alios bonos viros dirigi. qui cum alieni sint ab his facinoribus, indignum sit eos eadem accusatione comprehendi. Itaq; obiecisti mihi in colloquio nostro hanc quoq; temeritatem, quod virgines sacras pollutas fuisse scripsissem, in quo oportuerit me consideratius agere, nec tot homines honestos, quorum multi in partibus vestris sint, vno nomine vocare in crimen. Ego vero Buccere non omnes voco in crimen, sed eos duntaxat, qui ista commiserunt. Neque enim ignoro disparem esse vestratium hominum voluntatem. Multos scio honestos cordatosq; viros offensos moribus ecclesiasticorum, quos concionatores vestri assidue populo inculcant, nihil aliud in partibus vestris secutos esse quam reformationem ecclesiæ, puriorisque doctrinæ opinionem. Hi sine dubio non solum non probant ea, quæ ego reprehendo, sed mecum detestantur rapinas templorumq; excidia, oderũt vim atq; libidinem, sacrilegium prophanationemq; eorum, quæ deo dicata sunt, abominantur. qui cum manus ab alieno, cupiditatem a scelere atq; flagitio facilè abstinuerint, non possunt comprehendi oratione mea, quæ illos minime

Prophanatiões sacrarũ virginum.

me

me attingit,sed facile innocẽtia atq; integritate sua omnem vim seueritatemq; reprehensionis meæ effugiunt. Vos hæc fecisse scripsi,fateor,quo gene re loquendi tu quoq; in me vteris. Sed num,om- nes,addidi? num in te cadere ista, etiãsi ego ita sen- sissem,potuerunt? qui etiamsi voluisses,ne potuis- ses quidem delere monasteria,bona eripere,aliaq; id genus efficere, quæ non vnius neq; priuati ho- muncionis, sed maioris facultatis sunt propria. Quod si de virginibus quod scripsi, ad te pertine- re putas,vide ne prius ipse condemnes te,quam e- go de probro vllo cogitauerim. Honeste enim te & continenter vixisse existimo,neq; in hoc credo inimicis tuis, neq; tale quicquam mihi persuade- re possum. Cum enim intueor personam tuam,& cum hanc doctrinam,hos labores,hanc tantam & tam incredibilem industriam tuam in defenden- dis prouehendisq; ecclesijs vestris considero,non possum credere, ac ne suspicari quidem, te alium fuisse circa huius causæ principia,quã multis iam annis te tuis cõprobasti. Domum tuã vidi Argen tinæ, perhonesta erat, vt bonum & frugalem pa- tremfamilias laudare posses. Vxor modesta ac se dula,liberi quales optaret,qui bonos & bene mo- ratos habere cuperet. Neq; hic matrimonia tua,si leges ecclesiasticæ sinerent,reprehenderem, quæ

non ad libidinem tibi,præſertim hoc ætatis viro, ſed ad neceſſitatem,non ad voluptatem, ſed ad honeſtam vitæ conſuetudinem comparata eſſe & fuiſſe ſatis credo. Etenim hoſpitalitatem tuam experiuntur multi, viſunt ad te noti, amici, exteri. Reparata tibi curacꝫ familiari opus eſt. Quod ſi vxore careas,quis non videt hæc ſuſtentari non poſſe abs te,cum ſtudijs aſſiduis,tum alijs negocijs multis occupato? Sed redeo ad verba epiſtolæ meæ, quæ tu inique nimis & inuidioſe interpretaris. Cum enim diſerte id,quod res erat, nec negari poteſt,a me ſcriptum ſit, te tamen offendit pungitcꝫ vocula vnica orationis meæ: cumcꝫ nulla ex parte eos,qui alieni ſunt ab his factis,poſſit querela mea attingere,tu tamē velut ictus a me ac violatus exijſti animo, omnemcꝫ iram atque acerbitatem tuam in me intemperantius effudiſti. Mendacij impudentis arguiſti me,rabiem, acerbitatem, intolerātiam,eodem congeſſiſti,vt verborum atrocitate augeres inuidiam. Quod ſi ſacrilegum te,ſi parricidam appellaſſem, non potuiſſes impotentius in me excandeſcere. Sed ſatis de criminibus. Reſpondi enim fere maledictis tuis,quæ tu indigniſſime in me contuliſti. Sed cum alia quocꝫ multa, & quidem toto libro tuo inſperſa ſint, hæc tamen veluti inſignia ardere voluiſti in præfatione tua, vt

ante

ante causæ ingressum, atq; adeo in principio ipso occupares lectorem, odiumq; in me ante rei cognitionem accenderes.

DE DISPENSATIONE EVCHARIstiæ.

HIS depulsis igitur & tanquam nebulis discussis, integre tecum atq; aperte venio ad causam, in qua illud primũ abs te peto, ne me putes in hac defensione mea vitia vlla clericorum, aut prauas impiasue consuetudines, si quæ circa religionẽ inoleuerunt, velle defendere. Etenim multa sunt, fateor, quæ deformant statum ecclesiasticum, dignitatemq; eius obscurant, multa quæ male irrepserũt in ecclesiam, emendationemq; desiderant, quæ ego nunquam dissimulaui, agnoui semper, atque etiam cum inuidia mea reprehẽdi. Testis est illa ipsa epistola mea, quæ tibi tantopere displicet. In qua cum cætera omnia tanquam impia atq; sacrilega insecteris, hunc locum tamen, qui me iure contra offensionem tuam tueri debebat, parum apud te

pon-

ponderis habuiſſe video. Teſtes multi, qui iam inde a viginti annis mecum, partim in Germania, partim in Gallia, alijsq; in locis vixerunt, qui quid ſenſerim re & animo de omni parte quæſtionis huius, teſtari poterunt. Num igitur huc etiam progrediar, vt quæ recta piaq; mihi, quę ſalubriter inuecta in eccleſiam, quæ maiorum authoritate bene conſulta eſſe videntur, ea vt vituperem? Non poſſum Buccere, neq; ita natus ſum, neque inſtitutus. In cæteris facile obſequar amicis, colam neceſſitudines, quantumq; fas eſt, optimo cuiq; morem geram. Hic minime patiar me impediri ciuilibus rationibus, nec committam, vt in hac re tanta plus apud me humanitatis nomen, quam cauſa religionis veritasq; ipſa valuiſſe videat. Errare poſſum, fateor, neq; in hac cōtentione mihi quicquam contra aliorum prudentiam arrogo. Verum illud abs te peto, ne me condemnes prius, quam tuam quoque cauſam iudicari permiſeris. Ego doceri cupio, non a magiſtro tantum, ſed etiam ab aduerſario. Tu ne magiſtrum quidem ferre poſſe videris, tametſi diſſimulas, & optimo cuiq; offers cauſæ cognitionem, quam apud te tamen certam prę iudicatamq; eſſe, cum ex cæteris ſcriptis tuis, tum vero maxime ex hoc vltimo libro ſatis intelligi poteſt. Sed ad cauſam.

Tribus

Tribus de rebus omnis mihi tecum controuersia est, de dispensatione eucharistiæ, de inuocatione diuorum, & de cœlibatu sacerdotum. His quarta in epistola mea accessit, nempe de authoritate ecclesiæ, quæ ita ad hanc disputationem necessaria est, vt sine ea nihil possis certi ac firmi statuere. Multa tu de his omnibus in libro tuo, nec solicite minus quam verbose contra me, ita vt cum singulis propemodum articulis congredi, nihilcp intactum reliquisse videaris. Ego tã ociosus non sum, nec tã solicitus victoriæ, vt multa, quæ abs te pertractata sunt, quæcp etiam dicta in me intemperantius, negligere æquo animo non possim. Itaque illud propositum est mihi, respondere tantum ad capita ipsa, quæ in priori responsione a me disputata sunt, causamcp ita agere, vt & confutare tua, & mea confirmare voluisse videar. In quo sane illud abs te peto, ne me putes inflatum opinione doctrinæ conari quicquam aduersum te, sed causam per te oblatam agere velle. Etenim exagitasti hãc confessionem positam in epistola mea arbitratu tuo, quodcp ego ad gratiam valere voluerã, tu ad inuidiam traduxisti. Scripseram enim me sacris literis deditũ non esse, eacp confessione, & assiduitatẽ huius studij & arrogantiæ suspitionem a me remouebam. Tu contra reposuisti mihi, indignam esse

Propositio totius disputationis.

Bucce. pag. 35.

D docto

docto viro sacrarum literarum ignorationem. Quasi de his ego aut iactauerim me aliquando, aut eas contempserim, aut nunc etiam contemnam: vosque soli ij sitis, qui putent sacrarum literarum cognitionem cum cæteris etiam studijs coniungendam esse. Fatcor me his literis ex professo deditum non fuisse. Num idcirco negligere eas, ac nullam earum curam habere existimandus sum? Lege quæ sequuntur eodem in loco, quem tu deprauas, & videbis reprehensionis tuæ inciuilitatem. Quid enim communes loci? quid subcisiuæ horæ significant? nisi quod vitare arrogantiam, & de studijs meis, vt par erat, modice loqui volebam. Sed venio ad rem.

Latomi studia subcisiua.

Communionem sacram sub vtraque specie receptam defendi, fateor, non ex meo sensu, sed ex authoritate ecclesiæ, quam minime contemnendam esse putaui. Idem hodie sentio, nec video, cur mihi ab ea sententiā recedendum sit, donec tu Buccere docueris, aut errasse ecclesiam, aut in statuendo sapientiorem esse te, quam illa, quanque tam multi in eadē doctissimi sanctissimique homines tanto tempore fuerint. Neque hoc contumeliæ loco accipias velim, quod sapientiam tuam nomino. Scio enim te multis probabilibus argumentis in contrarium niti, scripturas facile & copiose allegare, in quibus

De eucharistia.

neque

neq; acumẽ ingenij tibi, neq; docti & exercitati hominis facultas deest. Sed nũ idcirco patiar me vinci tuis argumẽtis? plusq; vni tibi atq; ingenio tuo, quam tot milibus hominum, tot doctis præstantibusq; viris, tam longinquæ temporum authoritati, atq; adeo totius catholicæ ecclesię consensui, credam? Mira sedulitate vteris in refellenda disputatione mea. in qua tamen diligentia maiore, an incivilitate rem geras, incertum est. Nam & colligis in numerum argumenta singula, quæ obiter etiam a me in orationem sparsa sunt, & alia indigna vocas eruditione mea, alia falsa, alia protrita ac nugatoria, alia etiam impia atque blasphema. quæ quidem facis tu arbitrio atque libidine tua. Sed de mea tamẽ disputatione ita respondeo tibi, nullius instinctu, aut gratia huc me adductum esse, sed re & causa: cumq; argumentis vtendum esse viderem, ea posuisse me, quæ occurrebant illo tempore, quæque vel lectione aliqua, vel auditione percepta memineram. Neque enim laborandum mihi videbatur priuatim ad te scribenti, præsertim in argumentis exquirendis, quæ iam tum videbam abs te elusum iri, sed omnem vim atque rationem disputationis in authoritatem contuli. Itaque positis in principio argumentis, omnem deinceps orationem conuerti

Quo argumẽtorũ genere Latomus in epistola sua vti voluerit.

ad confirmandam ecclesiastici ordinis prærogatiuam & dignitatē in ecclesia, eoq; in loco multa de Basiliensi concilio, multa de episcoporum authoritate verba feci. Quod si his tanquam leuibus protritisq; argutijs (ita enim appellas) causam me sustinere voluisse putas, valde erras, nec tantum ipse tuæ apud me existimationi, quātum mihi æquum visum est, tribuis. Neq; enim eousque contempsi te, vt commentis friuolis, vt tibi videtur, vinci te posse putarem, sed authoritatem hierarchici ordinis, decretum concilij, multorum illustrium doctissimorumq; virorum sententias opposui. Quę tamen si contemnenda putas, si plus vni tibi cum paucis in Germania, quam his omnibus credendum esse existimas, fiat sane, modo ne irascaris mihi, qui non sum in eadem sententia, qui nō plus paucorum opinioni, quam pluribus, non plus priuatis, quam totius ecclesiæ authoritati credendum esse censeo. Nihil igitur indignum eruditiōe mea, nihil falsum atq; impium, sed ne nouum quidem atq; inusitatum in disputationem attuli. Trecenti anni sunt & amplius, sicut tu ipse fateris, cum hæc in scholis tractauerūt theologi, ne Alfonsum ista & Eccium primos inuenisse putes. Quæ cum tanto tempore ab illis, qui magistri habiti sunt, probata, inq; hoc ipso genere quæstionis proposita, dis

puta-

putataq; sint, tu me in hoc irridendum exagitandumq; putasti, quod fecerunt cæteri? quod doctissimi in hac causa ac prudentissimi quiq; & fecerūt ante me tanto tempore, & nisi fecissent, tantam apud omnes approbationem, tantamq; authoritatem, quantam tribuit eis iniquitas, minime consecuti fuissent. Quo magis odio digna est hæc etiam tua iniquitas, quod illud inuidię loco non solum in libro tuo, sed etiam in præfatione ipsa posuisti, me nihil afferre nouum in disputatione ista, sed ex scriptis Eccij, Pighij, Alfonsi argumenta transtulisse, eaq; commēdasse orationis gratia, quo probabiliora videantur. Quasi vero ego, quem tui negant esse theologum, neq; ego me esse prædico, aut noua inuenire in hac quæstione debuerim, aut meis inuentis vllis quam veterum melius vti potuerim. Non pudet me antiquitatis in hac causa, nec contemnendam esse iudico. Eccij & Pighij scripta vidi quidem aliqua, sed neque legi vnquam ad illud vsq; tempus, neque in bibliotheca mea habui. Alfonsi libellum nuper impressum Coloniæ donarat mihi amicus quidam, cumq; eodem tempore Confluētiam venisset Sturmius, mecumq; vna pro cōiunctione nostra esset in bibliotheca mea, inspiciendum porrexi, non tam propter argumētum, cuius vtrique, vt arbitor, par cura erat, quam

quod singularem modestiam in scribendo mihi vir ille cum orationis nitore coniunxisse videbatur. Hinc tu meũ Alfonsum, & quasi magistrum appellas, cuius me tamen nihil pudet, vt docti disertiq; hominis, atq; etiam si nescis, inter catholicos episcopi, nisi quod odiosa est omnis, quæ ab iniquo animo proficiscitur, etiam honorifica appellatio. Sed redeo ad institutum.

Eucharistiæ dispensatiõem, quam maior pars ecclesiæ tot annis approbauit, & hodie approbat, ego improbare non debeo, neque ab illius authoritate & consuetudine recedere. Etenim sicut illam, qua vtuntur sacrificantes in ecclesia, veram, inque vltima cœna verbis dominicis expressam institutamque esse video, ita hanc, quæ fit extra sacrificium, expresse vetitam esse non inuenio. Illud interim video, te illam probare solam, hanc reijcere, ecclesiam vtranque probare, sed illam sacerdotibus tantum, hanc laicis tribuere. Oro te Buccere, vt hic paulisper exuas personam aduersarij, teque ipsum arbitrum mihi in hac causa, vel quod benignius est, consultorem præbeas. Volo enim discere atque etiam consilium abs te petere. Homo laicus sum, ingenio vulgari, non possum expedire me de his quæstionibus. Sed video statim, ad scripturam vocas me. Scio, plana verbis

&

& expressa est,de pane enim & de calice diserte loquitur. Quid ergo? vtar calice? an me iussu cuiusquam impediri patiar? Ais tu, negat Eccius. Tu errare posse ecclesiam: nequaquam Eccius. tu verbo inhærendum euangelico: Eccius intellectum eius ab ecclesia petendum esse. hanc ille in consensione fidelium: tu in piorꝝ duntaxat. ille in ordine hierarchico: tu in doctrina recta. ille sedē eius Romæ: tu nusq̄ nisi in animis piorum collocas. Quo igitur vertam me in tanta dissensione? Audio sane, quid velis, & scripturam video: sed vter eandem rectius intelligat, vter melius vtatur, non video. Nec litera quidem ipsa non videtur sensum certum ostendere, sed moderandæ exponendæq́ꝫ eiusdem authoritas, non penes te vnum vel Eccium, sed penes vniuersam ecclesiam, vt fuit semper, ita hodie quoq́ꝫ opinor cōstituta est. Quid igitur prodest mihi, q̄d tu ad scripturam vocas me? cum alius et q̄dem tota ecclesia me reuocet, nō a scriptura quidē ipsa, sed a verbis eius ad sententiā, iubeatq́ꝫ me non tā corticem oratiōis, quā sensum veritatéq́ꝫ inspicere. Sed scio, aptum hic sensum esse ais. Fieri eīn expressam & panis & calicis mētionem. Deinde non solis sacerdotibus, sed ōmibus, vt bibant, a dn̄o præcipi. Hoc tu quidē ais Buccere, sed contra alij, qui solos apostolos, ac proinde sacerdotes

Scriptura cōtro uersa.

Interpretatio scrpturę ab ecclesia petēda.

dotes huic interfuiſſe myſterio, hiſq; ſolis præce-ptum fuiſſe affirmant. Nec tamen excluſos fuiſſe ab euchariſtia cæteros, ſicut tu cauillandi finem nullum facias, ſed exemplum datum apoſtolis mi niſtrandi omnibus, vt a ſacerdote quiſq; accipiat: nec referre, vtrum ſub vna, an duabus ſpeciebus accipiat, modo totum & corporis & ſanguinis do minici percipiatur ſacramentum. Nam quæ in epi ſtola ad Corinthios ſcripta ſint, pertinere ad eccle-ſiæ illius & temporum conſuetudinem, quam nec ipſi damnent, modo reſtituatur authoritate vni-uerſæ eccleſiæ, quæ illam mutauerit, ne ſcindatur vnitas eccleſiaſtica, id quod omni ratione cauen-dum ſit, neue varietas in vſu ſacramentorum ad-mittatur.

Sed hæc friuola tibi atq; inepta videntur, ſcio. irriſa etiam abs te in libro tuo, quanuis a me in-uenta non eſſent. Quare nec ego his te locis ma-gnopere vrgere volo. Quorſum igitur pertinet, inquis, tua oratio? Vt oſtendam tibi non eſſe cer-ta ea, in quibus tu collocas firmamentum aſſertio-nis tuæ, hoc eſt, ſcripturam, ad quam tu me vocas, non ita planam confeſſamq; eſſe, vt mihi nodum hunc, in quo hæreo, ſine cunctatiõe diſſoluere poſ ſit. Quod cum ita ſit, quid faciam? ecquid credam tibi incerta ambiguis, obſcura controuerſis pro-

ban-

bantiꝰ nam vt tibi plus authoritatis, quam omnibus aduersarijs tuis tribuam, neque æquum est, neque tu ipse, vt opinor, tam impudens es, vt a me postulare velis.

Sed mitto ista. Sint sane libera, quæ allegantur abs te, nec vlla cõtradictione ambigua, rem ipsam consideremus. Quæro ex te, vbi tandem constituas summam disputationis tuæ? & in quo maxime consistendum esse putes? Non quod sperem a me quicquam prolatum iri, quo te vincam, sed vt appareat, quid ab alijs quoqꝫ dici possit. Quo facto, tum mea quæ sit sententia ac fuerit semper, proferam, nec tecum deinceps, si licuerit, vllũ verbum de hac quæstione commutabo. Tu nefas esse putas mutare quicquam de verbo euangelico, & vel apicem vnum de institutis Christi detrahere. In quo sane dicis aliquid, & me quoqꝫ mouet oratio tua. Nam & ipse Buccere tangor eadem, qua tu, diuini verbi religione, quę ita tenet animum meum, vt ex quo tempore in hoc certamen veni, nullam fere occasionem prætermiserim cogitandi hac de re, tuamqꝫ sententiam, quæ mihi aliquid probabilitatis habere visa est, sursum deorsumqꝫ versandi. Etenim scio scriptum esse, Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo. Et, Quod præcipio tibi, hoc tantum facito domino,

Latomus profert cõĩa argumẽta, priusquã ad suã sententiam perueniat.

no,nec addes quicquam nec minues. Et rurſum a lio in loco,Non declinabitis, neq; ad dexterã, neq; ad ſiniſtram, ſed ambulabitis in via, quam dominus deus veſter præcepit vobis.Quæ verba toties repetita in eodem volumine ſatis monent,nihil de diuinis præceptis detrahendum,nihil addendum eſſe,nihil aliter,quam præſcriptum eſt,faciendum. Quæ ego ſane vera eſſe confiteor,& cum in cæteris inſtitutis euangelicis,tum vero maxime in ſacramentis, quæ ſalutis noſtræ quaſi inſtrumenta quædam ſunt, religioſiſſime cuſtodienda. Sed cum attendo, quæ ex aduerſo dicuntur, & rem ipſam conſidero, video inſtitutionem ſacramentorum duabus rebus contineri, quas tradunt theologi,quaſque tu ipſe Buccere non ignoras. Vna eſt, quæ in externo ritu ſpecieque viſibili poſita eſt,qua quæ vere ſacra myſticaq; ſunt, repræſentantur externo actu aliquo, viſque eorum inuiſibiliter exhibetur, qualia ſunt aqua & verba, quæ pronunciantur in baptiſmate: item panis, vinum, & conſecrationis verba in ſacramento euchariſtiæ. Altera eſt idipſum, quod repræſentatur ſpecie illa, hoc eſt, res ſubiecta, & vis propria ſacramenti, quæ ſub viſibili ſpecie continetur, quale eſt myſterium regenerationis in baptiſmate, corpus & ſanguis domini in euchariſtia. In hoc dupli

In Deuterono.

Duplex res in ſacramento.

ci rerum genere,quorum alterum terrenum & caducum,alterũ diuinum sempiternumq́ est, vtrum eandem vim rationemq́ esse putabimus ad percipiẽdum diuini beneficij fructum? an hęc quidem per se incõmutabilis,necessaria semp, nec vlla parte minuenda est? illa vero, quæ detrimentum pati mutationemq́ accipere potest, ita a domino instituta est, vt cum negligentia quidem nulla prætermitti,aut temeritate violari debeat,tamen si id tempus vel causa postulet,in ea dari aliquid necessitati, remitti infirmitati sumẽtium, piaculum caueri, communibusque naturæ vitijs occurrere liceat? Quod si fas esse negas,cur igitur baptizãdi ritum, quem Christus diserte tradidit, aliqñ mutarunt apostoli? cur eundem ecclesia, si nihil mutare licet, postea reuocauit? Etenim in nomine patris & filij & spiritus sancti iussit baptizare Christus. Quæ verba,cum ad formam sacramenti pertineant, sine quibus nihil agit̃,si mutari non potuerunt, cur in nomine Iesu baptizabant apostoli? cur eũdem ritũ ecclesia postea restituit? Quod si rẽ eandem vtrobiq́ significari dicis,cur nõ sub vnius q̃q́ sacramẽti specie corpus pariter & sanguinem dñi recte exhiberi fateris? Nisi forte qa alia ratio significandi in rebus sacramẽtalibus, alia in ṽbis est,idcirco putas voluntatẽ instituẽtis in altero,in altero ratũ

Argumenta a baptismi ritu mutato.

E ij ha-

habentis, eandem non esse. Quasi diuina voluntas rebus sensibilibus alligetur, nec se in beneficijs suis ad vtilitatem nostram accommodet. Vtrum vero baptismus sacramentum non est? an certis præscriptisque obseruationibus a domino non institutus? Euntes, ait, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Quid? docete, & baptizantes ait, quod immergentes significat. Hodie vero & iam inde a multis seculis quis ante docuit infantes, quam baptizaret? quis obseruat ritum hunc immergendi ac deprimendi in aquam hodie? quis a longissimis temporibus obseruauit? Prima certe ecclesia hæc tenuit religiose, & ad posteros transmisit. Num etiam continuauit posteritas? Ducentis fere quinquaginta annis post apostolos non deerant, qui dubitarēt de perfusione illa, quæ postea recepta fuit, essent ne vere baptizati aspersi duntaxat, an immersione tota opus esset. Quorum errorem ita discussit Cyprianus, vt de his rebus externis præclaram probatamque omnibus sententiam reliquerit. Ait enim diuina compendia in sacramentis totum conferre credentibus, si cogat necessitas, & si deus indulgentiam suam largiatur. Quid hoc est aliud, quam diuinam benignitatem externis rebus alligatam non esse, sed fide excipi cœlestem munificentiam, interpreta-

Cypria. episto. 7

tio-

tione neq; humana, vt idem ait, minime contrahen-
dam minuẽdamq; esse? Quid Buccere? placet Cy-
priani authoritas, quam tu hic citasti contra me,
cuius etiam locum integrum ex epistola eiusdem
perscripsisti? Vides certe in sacramento baptisma
tis tres res insignes mutatas esse cõtra instituti for
mulam, nec tamen mutilatum sacramentum, sa-
crilegiumq; ab ecclesia commissum esse. Quid de
terna immersione dicam? quam primum quasi ex
instituto Christi obseruauit ecclesia. Postea cum
res tanquam necessaria vrgeretur ab hæreticis, pa
tres remittendam esse duxerunt, ne cessisse vide-
rentur hostibus religionis. Tanti æstimabant resi-
stere pertinaciæ, nec vlla in re committere, vt qui
discessissent ab vnitate fidelium, spem perturban-
dæ eiusdem vllam haberent. Atq; hæc in baptis-
mi sacramento variata sunt, in quo cum ingressus
sit atq; initium ad nomen Christianum, tanta est
mysterij eius dignitas, vt Christus ipse mergi in
aquam, baptizariq; voluerit, quo nobis lauacrum
hoc regenerationis sacrosancti sui corporis diui-
nitate consecraret. Quid de ipso eucharistiæ sacra
mento dicam? nihil ne præter hanc calicis effigi-
em de institutione eius detraxit ecclesia? nihil tenta
re ausa est? Lege codicem euangelicum, & confer
cum hodierna consuetudine, inuenies neque tem-

pus cœnæ dominicæ conuenire cum noſtra ſynaxi, necꝙ pedum lotiōem, quæ pręcepta a domino magnum ſacramentum dilectionis continet, in celebratione euchariſtiæ remanſiſſe. Quid igitur dicemus? an quia non veſperi nobis, ſed mane, nō lotis inuicem pedibus, ſed interdū ne manibus quidem, ſacroſanctum dn̄i corpus porrigitur, idcirco vanum ſacramentum, aut minus ſalutare eſſe putabimus? Minime vero. Quid ita? dixi modo, quia non externis rebus, ſed fide excipit̄ diuina munificentia: nec tam ſpectat deus, quid agat̄, quam qs & qua mente ad dona ſua accedat. Non vult contēni aut negligi ſacramenta ſua, nec tn̄ gratiam eorundem viſibilium rerꝫ menſura coercet. Quis baptizauit Latronem in cruce? & tamen dixit ei os veritatis, hodie mecum eris in paradiſo. Quis tot agmina martyrꝫ, tot milites Chriſti, cum raperentur ad ſupplicia? quis panem illis myſticū, quis poculū ſanguinis porrexit? & tamen fructu eorundem minime fraudati ſunt. Vt quid vētrem, inquit Augustinus, quid dentem paras? crede & manducaſti. Idem ſcribit ad Bonifaciū epiſcopum, baptizatos & in vnitate corporis Chriſti, hoc eſt, eccleſiæ manentes, quamuis ſine euchariſtia hinc migrent, tn̄ corporis & ſanguinis dn̄i ſine dubio participes fieri. Tantam em̄ eſſe virtutem vnitatis in ſancta com=

Fidei efficacia in ſacramentis.

compage corporis Christi, tantā vim spiritus san
cti, qui a capite per totum corpus ecclesiæ diffun-
dat, vt in communione eiusdem spiritus aliorū eti
am fides prosit alijs, aliena sacramentorū perceptio
cum alijs etiam eiusdem corporis membris cōmu
nicet. Quid ergo? tu ei, qui non percepit tota sacra
mentorū signacula, q calicem ore non attigit, nō gu
stauit manu admotum poculum, quicq̄ decessisse
putas? Paruulis in baptismo ignorātibus confert
regenerationis beneficium. quanto certiora sunt,
quæ volētes ipsi amplectimur? quæ nō aliena fide,
non adsistentiū professione, sed nostris ipsorū vo-
tis ac studijs apprehendunt? An si tota hæc nō sta
tuunt ante oculos, idcirco a dño parcius impetran
tur? Enimuero magna vis est fidei in excipiendis
diuinis mysterijs, per quam etiam percipiuntur
ea, quæ porrecta non sunt, & quæ sunt porrecta,
euidentius ad salutem valent. Quæ est igitur cau-
sa, cur si tota species porrecta non sit, detrimen-
tum fieri putes? An te mouent Chrysostomi ver-
ba, quæ contra me citas? an vero Cypriani, cu- Pag.44.
ius etiam multos versus in librum tuum tran- & 42.
stulisti? Nam canon, Comperimus, non de lai- De cōs.
cis, sed de sacerdotibus loquitur, quanquam ni- dist.2.
hil obest mihi propter temporum illorum cōsue-
tudinem, etiam si de laicis accipiatur. De Chry-
sosto-

ſoſtomo autem reſpõdeo tibi. illum doctiſſimum pariter ſanctiſſimumque virum nulla re impeditum fuiſſe,quo minus id,quod tunc in vſu erat, de æqualitate ſacerdotis ac populi in euchariſtia participanda ſcriberet. Equidem nunquam negaui vtranqꝫ ſpeciem pariter in vſu fuiſſe in primis ac vetuſtiſſimis eccleſijs,præſertim Orientalibus, apud quas hæc ipſa religio adhuc manere dicitur. Verum illud cogitandum eſt, ſi viueret hoc tempore Chryſoſtomus,reſque in eum locum veniſſet, in quo iam annis,vt tu ipſe fateris, amplius trecentis fuit,vt alij volunt, multo pluribus, ſcripturus ne fuerit eadem in hanc ſententiam, quam tu defendere conaris? Nihil ne iudicio tanti temporis,nihil longiſſimæ conſuetudini,nihil authoritati maiorum,paci denicꝫ atcꝫ vnitati eccleſiaſticæ tribueret? Idem de Cypriano tibi reſpondeo, qui cum ſingularis oſor nouorum dogmatum ſemper fuerit,vnitatemcꝫ eccleſiæ & doctrinæ conſenſum tanti fecerit, vt extra eundem,neque nomen Chriſtianum,neque ſacramentorum vim vllam eſſe iudicauerit,nõ poſſum perſuadere mihi, quin ſi viueret hodie,quibuscꝫ de rebus quantum mali excitaretur,animaduerteret,omnia ferret probaretcꝫ potius,quæ vos reprehenditis,quam perturbari eccleſiam tanto periculo,nouiscꝫ doctrinis

Chryſ. homil. 18. in 2. ad Cor.

Chryſoſtomus & Cyprianus ſi viuerent hodie, qd ſentiret.

ſcindi

ſcindi labefactariq́ʒ videret. Quanquam illud mirum eſt, tanto ſtudio te ſummi illius viri authoritatem mihi opponere voluiſſe, nec vidiſſe interim locum illum non ſolum nihil facere cõtra me, ſed obiter etiam incurrere in aliud dogma vinum de calice dominico offerendo. In quo tu cum neges in diuino ſacrificio panem & calicem pro peccatis noſtris offerendum eſſe cõtra theologos noſtros, contraq́ʒ vetuſtiſſimam eccleſiæ conſuetudinem, dij immortales quantam hic plagam accipis. Profuiſſet certe hoc telum non mouiſſe. Quid enim officit mihi, cum tota epiſtola, quæ contra aquarios ſcribitur, non de calice præbendo laicis, ſed miſcẽdo in ſacrificio, et a ſacerdotibus offerẽdo diſputet? Quod ne qs a me fingi putet, audi quid in eadẽ epiſtola ſcribatur. Nam ſi Ieſus Chriſtus, inquit, dominus & deus noſter ipſe eſt ſummus ſacerdos dei patris, & ſacrificium deo patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit, vtiq́ʒ ille ſacerdos vice Chriſti vere fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur. Et ſacrificium verum & plenum tunc offert in eccleſia deo patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum q̃d ipſum Chriſtum videat obtuliſſe. Vides Buccere, qua de re loquatur Cyprianus, & quid, non contra me, ſed contra te potius, qui illum citaſti, pronunciet. Niſi for

Cypria. libro 2. epiſt. 3.

te quia in eadem epiſtola ſcriptum eſt, Ne minima quidem domini præcepta ſoluenda eſſe, &, quod tu citas, Idem nobis faciendum eſſe, quod conſtet dominum feciſſe: idcirco putas Cyprianum ſententiæ tuæ ſubſcripſiſſe. Primum non de laica communione, ſed de calice offerendo Cyprianus loquitur, in quo vult dominum a ſacrificantibus imitandum eſſe, vt ſicut ille nec aquã ſolam nec ſolum vinum, ſed calicem mixtum obtulerit, ita a ſacerdotibus faciendum eſſe. Deinde ſi putat ne minima quidem de præceptis diuinis ſoluenda eſſe, ita vt nihil neceſſitati aut tempori tribuatur, cur ipſe excuſat perfuſionem ſolam in baptiſmate, cum mergendos in aquam & abluendos totos Chriſtus præceperit? cur fide ait ſuppleri diuina compendia, ſi præſtanda ſunt omnia, ſi nihil eſt in diuinis præceptis, cuius non dico veniam mereri humana infirmitas, ſed ne diuina quidem clementia gratiam facere poſſit? Vtrum minus eſt, non doceri baptizandos? non baptizari ſicut præcepit dominus? an in euchariſtia vini ſpeciem nõ accipere? præſertim cum in baptiſmo nulla ſit rerum myſticarum, quæ inuiſibiliter exhibentur, niſi per fidem compenſatio, in pane autem conſecrato inſit poculi myſterium, ſanguiſque ſacroſanctus vna cum corpore dominico per concomitan-

mitantiam, vt vocant, vere & ineffabiliter exhibeatur. Sed satis de Cypriano. Dixi in prima ecclesia vsum calicis etiam apud laicos fuisse. Ex quo sane intelligitur desijsse paulatim consensu fidelium, tandemque decreto concilij abrogatum fuisse. Quod idem cum posuerim in epistola mea Buccere, primamque ecclesiam, nondum excultam omnibus rebus, rudem appellauerim, mirum est, quam hoc indigne tuleris, quanta me seueritate eadem de re obiurgaueris. Bucce. pag. 37.

Ego Buccere, ne quid imprudenti mihi excidisse putes, fateor me appellasse primã ecclesiam rudem, neque eius verbi adhuc me pœnitet. Sed o sanctam ruditatem. Tecum enim exclamare libet, ne me hanc vocem tuam improbare putes. Ego ne ecclesiam inscitiæ atque imprudentiæ argui? quam non ex tua reprehensione, sed ex euangelicis literis didici, & vsque a puero ad hoc vsque tempus nunquam ignoraui sapientissimam & fuisse semper & esse hodie, vt quæ spiritu dei accepto semel nunquam destituta fuerit. Scriptum est enim, Cum venerit spiritus paracletus, ille docebit vos omnem veritatem. Et, Vsque ad consummationem seculi vobiscum sum. Quo igitur ore audes ex me querere, quid sentiam de ecclesia, qui illam rudem aliquãdo fuisse, & a patribus doctam, Primã ecclesiã rudem quo sensu dixerit Latomus.

ſcribere mihi permiſerim? An parum eſſe putas, quod in hac cauſa me omnibus inuidiæ telis appetiuiſti? non ſatis viſum eſt tibi, niſi hanc quoq; offenſionem mihi obijceres? In quo tamen hanc gratiam tibi habeo, quod nihil mutaris de verbis meis, ſed integra illa incorruptaq; recitaueris. Ita enim ſcripſiſſe me fateor, Cum rudis adhuc eſſet prima eccleſia, ritum a Chriſto acceptum religioſe tenuit, donec docta a patribus intellexit vtranq; ſpeciem conuenire ſacerdotibus, laicos ſolo pane contentos eſſe poſſe. Quid hic peccaui obſecro? Vtrū iniuriam feci eccleſiæ, quod eam didiciſſe aliquid ſcripſi? an mea reprehendenda eſt oratio, quod parum commode ſcripta ſit? Niſi tu forte non intelligis ea, nec vides, quæ patent alijs, ſenſumq; orationis meæ percipere non potuiſti. Faciam igitur q̊d poſcit neceſſitas, & quid ſenſerim eodem in loco, explanabo tibi, ſed ita, ſi te prius monuero eius, quod nemo fere, niſi qui non attigit ſacras literas, ignorare ſolet. Duo rerum genera eſſe, quę in pręceptis eccleſiaſticis, a tq; adeo in tota doctrina eccleſiaſtica tractantur. Vnum neceſſariū & incommutabile, quod proprie euangelicum ac ſalutiferum dixeris, ſine quo ſalus promiſſa a deo contingere non poteſt. Huius generis ſunt omnia, quæ in præceptis decalogi, & in ſymbolo fidei continent: item

Duplex rerū genus in eccleſiaſtica doctrina.

item quæ ad ſacramenta nouæ legis pertinēt, quæ ad remiſſionem peccatorum ex præcepto diuino neceſſario conferūtur. Alterum genus eſt eorum, quæ non ſunt neceſſaria neq; perpetua, ſed tamen cōiuncta fere cum illis primis, & ad vſum eorum conferentia. qualia ſunt, quæ ad cultum externum, ad celebrationem ſacramentorum, ad cæremonias, & ad diſciplinam fere eccleſiaſticam pertinent, quorum multa comprehenſa ſunt ſcriptis euangelicis, multa ab apoſtolis, plurima a patribus tradita, quæ manent in hanc vſque diem, & religioſe a catholicis obſeruantur. Hæc mutari poſſe temporibus, ac ſæpe mutata fuiſſe, tu Buccere, qui legiſti acta conciliorum & hiſtorias eccleſiaſticas, ignorare non potes. Etenim multa in vſu fuerunt in prima eccleſia, quæ poſtea decretis mutata ſunt, vel tacito conſenſu antiquata. Rurſus multa apud poſteros, quæ pie inſtituta a patribus ignorauit antiquitas, de quibus prima eccleſia ne cogitandi quidem occaſionem habuit. Etenim de catechumenis, de paruulorum baptiſmo, de conſecratione baptiſmi, de cæreo paſchali, de vnctione ſiue chriſmate, de temporibus baptizandi, de multis alijs rebus, quæ ad hoc vnum ſacramentum pertinent, quantulum non dico habuit, ſed nouit prima & apoſtolica eccleſia? aut ſi qua habuit, a poſteris cer-

te exculta ornataqꝫ sunt. longe autem plurima secundum apostolorum tempora patrum ætas instituit, quæ ad nos vsque perducta adhuc hodie in ecclesia manent. Quæ quidē satis ostendunt, quam ruditatē primæ ecclesiæ tribuerim, vbi & in quo rerum genere tribuerim. Non enim ignorasse illam quicquam eorum vnquam putaui, quæ ad doctrinam salutis, vel etiam ad temporū illorum vtilitatē pertinebant, sicut tu parꝫ cādide interpretaris: sed si quid in cæteris rebus defuit ei, sicut certe multa defuerunt, de quibus illam ne cogitandi quidem, nedum statuendi causam habuisse arbitror, tu me criminandum putas, quod rudem illam, hoc est, simplicem nondumque excultam ijs ornamentis, quæ postea accesserunt, appellauerim? Sed doctam, inquis, a patribus fuisse scripsisti, quasi apostolis sapientiores patres fuerint. Hic nolo litigiosus esse, nolo disputare tecum, potuerint ne errare, atque adeo ignorare aliquid etiam ij, qui spiritum sanctum in linguis ignitis acceperant? Tu certe in libro tuo affirmas nemini ita conferri spiritum sanctum, vt errare non possit. quod vnū etsi satis esse poterat ad probandum, doceri aliquid potuisse apostolos, etiā a patribus fortasse, si vixissent eodem tēpore, atqꝫ adeo a priuatis etiam hominibus, si quidem vera sunt, quę tu scri-

Bucce. pag. 197

ſcribis eodem in libro, nimirum Theſſaloniceñ ſes a Paulo laudatos fuiſſe, quod in prædicatiõem apoſtolicam inquirerent, probarentq; omnia, ſed quod bonum eſſet, tenerent. agnoſcis enim locum & verba tua. Tamen non vtar hoc præſidio in hac defenſione mea, ſed illud viciſſim quæram ex te, vbinam & quibus verbis hoc a me ſcriptum ſit, quod tu interpretaris, primam eccleſiam a patribus doctam fuiſſe? poteſt ne hoc conuinci ex oratione mea? quæ ita dilucide vſitatisque verbis ſcripta eſt, vt æquo lectori hæſitationem nullam adferre poſſit. Etenim ita ſcriptum eſt, Cum rudis adhuc eſſet prima eccleſia. Iam reſponſum eſt tibi de vocula, rudis, ne poſthac erres, & temere in me ſtringas calumniam tuam. Ritum a CHRISTO acceptum religioſe tenuit. Hic nihil erat, quod reprehendere velles, cum ita ſtudioſe tuearis acceptorum religionem, vt qui credat tibi, putet veram eſſe Lutheri ſententiam; qui negat, quia CHRISTVS dixerit, accipite & comedite, ſacrificanti per ſeipſum ſumendam eſſe eucharistiam, ſed non niſi a porrigente accipiendam. O fidos interpretes diuinarum ſcripturarũ. Quid ſequitur? Donec docta a patribus. In hoc ſtatus eſt huius loci. Docta a patribus. Quænam docta? ec-

Bucer. pag. 19

Luth. in nouo libello, cui titulus eſt, dye haupt artickel, art. 2

Quod eccleſiã a patribus doctã fuiſſe ſcripſerit.

clesia, inquam. At quænam ecclesia? prima an posterior? nam multum interest. Ecclesiam enim semper docuere patres, nec plures modo, aut vniuersi, sed etiã singuli, sicut in concilio Niceno de Paphnutio proditum est, qui solus etiam in re magna & difficili reflexit totius concilij sententiam. Ergo posterior certe. Quid ita? quia prima a patribus doceri non potuit. Quid enim didicisset Petrus ab Origene, Cypriano, Basilio, Chrysostomo, qui annis circiter trecentis post vixerunt? Non igitur potuit prima ecclesia discere a patribus, etiã si hoc maxime desideratum fuisset, cum temporum interualla obstiterint. At hoc, inquis, ita abs te scriptum esse apparet. Tibi apparet fortasse, qui reprehendẽdi ansam quęsisti, sed meminisse debebas nihil contra rerum naturam, neq; intelligendum in scriptis vllis, neq; interpretandum esse. Quid autem hic magis contra naturam esse potuit, quam doceri eos, qui iam multis annis non vixerant? Nisi te forte lapsum esse fateris, & culpam tamen confers in me, qui tam insolẽti & obscuro verborum genere vsus sim. Ego Buccere etsi multo studio ac tempore puto assecutum esse me aliquam Latini sermonis cõsuetudinem, eademq; vti soleo, etiam dum scribo ad amicos, si non accurate, certe non nimis negligenter; tamẽ ita cautus et vigilans nunquam

Aperta Bucceri calũnia.

quam esse potui, vt nullum cauillatori locum relinquerem. Scriptum est, fateor, a me, & quidē meo iudicio, satis aperte & commode. Sed tu in verbo, docta, cum ecclesiam simpliciter accipere deberes, primam accepisti, eaq; in re falli te passus es, errore, vt tu fortasse, vt alius dixerit, malitia, quo nō deesset tibi reprehendendi locus. Neq; enim te mouere debuit, quod initio periodi primam ecclesiā nominauerā, quasi hoc ipsum in subiuncta quoq; parte repetendum fuerit. Compendio enim loquēdi & cōmoditate orationis vertuntur ista, moderaturq; intelligentiæ lectoris ipsa rerū conditio. Multa apud ꝓphanos scriptores, multa in sacris literis inuenias eiusdē generis, quæ auribus accipienda quidem, sed iudicio dispensanda sunt. Sede a dextris meis, dixit Propheta, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ergo subactis inimicis non amplius sedebit a dextris? Et non cognouit eam, donec peperit filium suū primogenitum. Cognouit igitur postquam peperit. Minime vero. quid ita? quāuis enim cognoscendi verbum in sentētia p̄cesserit, tamen repetendum non est in subiuncta oratione, quia contra veritatem est. Vetat enim catholica ecclesia, ne quid tale accipiamus, etiam si id verba sonare videantur. Non debebas igitur Buccere tanto strepitu efferri in me

propter hunc locum, vel male intellectum abs te, vel vt alius quispiam dixerit, de industria deprauatum. Grauitatis tuæ atque candoris erat ante, videre & cõsiderare, quid reprehenderes, quam crimen tam inuidiosum in me innocentẽ intendere. Sed satis de ruditate ecclesiæ, quam tot verbis persecutus non essem, nisi visum esset ad rem pertinere, meque indignitas iniuriæ ad auertendam hanc a me suspitionem compulisset.

Quæ sit propria Latomi sentẽtia de eucharistia

Disputaui igitur ea fere, quæ dicuntur a nostris de dispẽsatione eucharistiæ, & quæ dici fortasse possint, nec tam meã huc vsque protuli sententiam, quam cõmunem causam egi. Nunc ex me scire desideras, quid ego sentiam, quidque ipse statuam de hac controuersia. Primum fateor me inuitum hic quicquam pronunciare in tanta doctorum hominum dissensione, non quod metu impediar, ne quem mea offendat oratio, si quid aliter fortasse, quã volet quisque, sentire me dixero, sed difficultas quæstionis superat cum ingenium meũ, tum facultatẽ. Verũ quoniam huc delatus sum, & tecum his de rebus loqui me ac verba cõmutare res ipsa coegit, cumque hoc expectari a me iamdpridẽ flagitarique sentiam: obsequar nõ tam meæ voluntati quã tempori, & quid mihi nõ verissimũ modo, sed etiã tutissimũ in hac causa videatur, paucis declarabo. Ego Bucce-

cere ſemper fui in ea ſentētia, vt putarem verā indubitatamq; euchariſtiam, qua cuncti fideles vterentur, literis euangelicis traditam expreſſamque eſſe. Deinde hoc etiam cenſui, diuinam erga nos indulgentiā bonitatis ſuæ munera nullis externis rebus ita adſtrinxiſſe, quin fructus eorū, q̄ conferūt p̄ ſacramenta, hoc eſt, externa illa viſibiliaq; ſigna, etiā negatis illis, per dei miſericordiam credētibus cōtingere poſſit. Hęc adeo obſcura nō ſunt Buccere, vt nō ſolū a diuo Cypriano, Auguſtino, cūctiſq; veteris theologiæ doctoribus, vt noſti, tradita ſint, ſed plurimis etiā diuinæ ſcripturæ cū argumentis tum exemplis expreſſa. Quid em̄ opus eſt repetere ea, quæ ſupra a me de hoc ipſo delibata ſunt? Parū ſum exercitatus in hoc genere, multa tn̄ proferre poſſem, niſi te eadem ac multo plura etiam tenere perſuaſum haberem. His itaq; conſtitutis, dico optandum eſſe, votisque omnibus expetendum, vt nulla res vnquam impediat, quo minus ſacramenta ipſa quo ritu quaue cæremonia a domino inſtituta ſunt, ita poſſimus integre ſine omni detrimēto accipere. Quod ſi forte hanc copiam nobis aut rerum natura, aut temporis conditio extra culpam noſtrā negauerit, quid aliud faciēdum eſſe putem, niſi vt amplectamur diuinæ clementiæ ſubſidium? quodq; adimit nobis humanæ cōditionis ne-

Sacramentorum fructū etiā abſq; ſignis ſacramētalibus cōtingere poſſe.

G ij cessi-

ceſſitas, idipſum fiducia in deum certiſſma conſe-
q̃mur? Sed hic ſtatim occurris, & negas ſacramen
tis opus fore, ſi citra illorum vſum tantundem con
ſequi liceat. Reſpõdeo tibi & quæro, ecquid opus
fuerit ſacramentis veteris legis? cum ſcriptum ſit,
Credidit Abraham, & reputatum eſt ei ad iuſtiti-
am. Si enim fides iuſtificabat, quid laceratione cor-
poris? quid carnis mutilatione opus erat? Et tamẽ
circuncidi voluit is, cui dictum fuit, In ſemine tuo
benedicentur omnes gentes, vt extaret ſcilicet di-
uini muneris etiã in corpore eius ſignaculum. Nõ
enim per circunciſionem iuſtificatus fuit Abra-
ham, ſed tamen circunciſi cordis, hoc eſt, fidei iuſti
tiæq; adeptæ ſymbolum in membris ſuis appare
re voluit. Quid tu hoc aliud eſſe putas, quã vt nos
quoq; fidei ac profeſſionis noſtrę geramus inſig-
nia? gloriemur læti diuinis muneribus, omniq; in
loco & tempe ſalutis noſtræ ornamenta celebre-
mus? An tu parum, vel ad gratiam illa apud domi
num, cui nomen dedimus, vel ad noſtra præſidia
valere exiſtimas? Ægri ꝑpetuo lætalibusq; malis
ſaucij indigemus cœleſtibus pharmacis. Hæc ad-
eſſe nobis diuina prouidẽtia in ſacramẽtis viſibili
bus, hęc verſari añ oculos, his admoneri nos & in-
uitari cunctãtes, abiectos erigi, incitari tardos, de-
biles ꝑuehi, fortes atq; valentes exerceri, inq; hac
lubri-

Signa ſacramentalia minime otioſa eſſe.

lubrica fallaciq; vita ad cœlestia p̄mia confirmari voluit. Nō sunt igitur vana hæc mysticarū rerū signa, neq; vsus eorū negligendus est nobis, cū non magis ignoscat ei dn̄s, qui quamuis pius & recte sibi conscius, hæc visibilia sacramenta negligit, quā qui obstrictus scelere & culpa inuisibilia ipsa indigne sumit. Quid? in hoc ipso sacramento corporis & sanguinis dominici quis non videt aperte præceptam commendatamq; esse nobis externæ celebrationis vtilitatem? Accipite & manducate, inquit, hoc facite in meā cōmemorationem. Et Paulus, Hoc quotiescunq; feceritis, mortē domini annunciabitis, donec veniat. An nō hic satis exprimitur causa visibilis sacramenti? Cur enim alijs in locis de manducatione corporis dominici propositis non idem præcipitur? cur non adiungitur mortis recordatio? Ego sum panis viuus, inquit, qui de cœlo descendi, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Item ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Percurre omnes locos, qui multi sunt, nusquam inuenies recordationis, sed vitæ duntaxat salutisq; nostræ mētionem adiunctā. Ex quo illud certe, quod nobis etiam confitendum est, intelligitur, eucharistiam in visibili sacramento proprie positam esse,

 dupli-

duplicemq; habere vtilitatem, vnam mensæ dñicæ propriam, quæ statuitur in celebratione sacræ cœnæ, dũ corporis & sanguinis memoria proposita actu visibili excitamur ad gratiarum actiõem. Alteram ipsius corporis & sanguinis sacrosancti, quorum perceptione purgamur a vitijs, & refecti cibo spirituali in vitam æternam proficimus. Quid igitur censes? Num segnius prouocãtur ad recolenda diuina beneficia, quibus solus in eucharistia panis proponitur? quam vos, qui solo pane reiecto, non putatis participari sanguinem domini, neq; instituto diuino satisfieri, nisi vtraq; species vobis & panis et vini cõiunctim præbeat. Quasi vero obscurũ sit, nec sciant oẽs, qui docent quotidie in ecclesia, verũ corpus & sanguinem dñi accipi sub panis solius specie, idemq; corpus eundẽq; sanguinẽ sub vtraq; specie pariter exhiberi. Nisi forte plus mouet, qui vini colorem videt, quam is, cui panis solus ante oculos statuit. q̃d si ita sentis, vimq; oĩno tantam sensibus tribuis, vide ne eadem ratione fateri cogaris, ꝓpter imaginem cruoris, non albo, sed rubro duntaxat vino, de quo tñ nihil cautum est a dño, eucharistiã cõficiendam esse, ne forte erret aspectus, neue album minus q̃ rubrũ verti in Christi sanguinẽ credat. Sed quid opus erat, inquis, adimi alterã speciem laicis? cum vtranq; dñs insti-

Vtilitas eucharistiæ in solo pane tota.

instituerit? Vt em̃ detur aliquid necessitati, non video hac in re quę tanta fuerit necessitas. Effusio calicis, vini corruptio, tãti ne sunt, vt causam iustam præbuerint mutilationi sacramentorũ? Rñdeo, ita fortasse tibi videri, sed aliter visum fuisse q̃ plurimis pijs & doctis hoĩbus, aliter cõsuetudini lõgissimi temporis, aliter duobus concilijs gñalibus, quæ in Germania habita sunt, quæ etsi cõtemnis tu, maior tñ pars orbis Christiani probauit in hãc vsq; diem, & hodie ꝓbat. Sed quæro ex te, num tu causam corruptionis, quæ inutile sacramẽtum efficit, num effusionis, quę caueri vix potest in tanta multitudine, leuem esse putes? Canon decreti obseruandũ diligent̃, & radi locũ & cõcremari, vstũq; condi iubet, si qd de sacrosancto calice effusum fuerit, eo q̃d nefas esse, et piaculũ magnum cõmitti puteẽ, si vlla pars corporis aut sanguinis sacrosancti non seruiat eucharistiæ, cui soli tm̃ munus a dño deputatũ est, sed negligentia culpaue nostra ꝓphanetur ac pereat. Itaq; pœnã irrogat sacerdoti, cuius negligentia hoc factũ fuerit. Iam quid illis facies, q natura abstemij sunt? aut qui ꝓpter valetudinẽ, non gustũ dico, sed ne odorẽ quidem vini ferre possunt? Quid gẽtibus vsu vini carẽtibus? quarũ multę esse traduntur, præsertim in septentrionalibus plagis? nõ omnes quidem fideles, sed quæ aut fuerunt aliquan-

Causæ adẽpti calicis.

quando, aut rursus fieri possunt? Sed leuia videntur hæc tibi, scio, quę vestri sane commenta hominum, papistarumq́ nugas appellant. Quod equidem minime miror, cum nonnullos esse audiam, qui vsq; adeo religionem omnem ex animis vna cum veritate ipsa eiecerint, vt vix credant verum corpus & sanguinem domini esse in eucharistia, & si credant fortasse, tamen negent esse, nisi quatenus sumatur, id quod sumptum nō fuerit, nihil habere sacri, sed panem duntaxat vinumq́ esse. Itaq; porrecto poculo id, quod reliquum est, effundunt in angulum aliquem, aut sodali in cōuiuio, de quo modo sublatum fuit, propinant. O scelera, nō ministrorũ ecclesiæ, sed audacissimorũ ganeonum. Et tamen hoc nomĩe parasitantur apud magnates, & se sub pallio euangelij venditant, obeundo partes & munera sacerdotij, nulla authoritate ecclesiastica, nulla potestate, nulla legitima ordinatione. Sed ad rem. Quid agemus igĩ Buccere? tu causas papisticas adempti calicis, omnemq́ hanc conciliorũ authoritatem repudias. Quomodo igitur probabo tibi causam iustam fuisse adimẽdi eiusdem laicis, vel saltem postq̃ ademptus fuit tanto tempore, excusandi consuetudinem ecclesię, eosq́ qui nolunt acquiescere, a perturbatione tamen vnitatis atq; a pernitiosissimo dissidio reuocandi? Ego certe, vt

te, vt dicam quod ſentio, multorũ ſententiæ plus tribuo quam vnius, pacatis plus quam turbulentis, eccleſiæ vniuerſæ vel maiori eius parti plus, q̃ mihi ipſi, quam tibi, quam omnibus, qui hodie in hac contentione verſantur. Non poſſum igitur reprehendere, quod ab illis probatum, ſtatutum, receptum fuit tanto tempore, nec ſi ego cauſam fortaſſe neceſſariam reddere non poſſum, idcirco illi nullam habuerũt: aũt ſi mihi leuior aliqua, parũq́ iuſta videtur, idcirco idẽ viſum eſt illis, q certe & conſilij ſui rationem meliorem q̃ ego, & facti cauſam multo probatiſſimam habuerunt. Relinquo igitur hanc partem quæſtionis in medio, quã video idcirco ad finem certum perduci nõ poſſe, quoniã neq́ tu authoritates meas recipis, quibus ego vti cogor ſolis, neq́ ego tuis, quoniam adhuc multum inquiſitionis habẽt, acquieſcere poſſum.

Abſoluit hũc locũ, & ſoli authoritati inhæret.

Illud videamus igit̃ ſi forte cõcedam tibi (quod tamen ita a me quaſi concedatur, accipere non debes) ſed finge tamen nõ oportuiſſe calicem ademptum laicis, qui communi conſenſu ante trecentos annos, vt tu ipſe fateris, vt alij volũt, multo amplius, decreto autem eccleſiæ paulo plus centum hinc annis ademptus fuit: ſed finge, inquã, non oportuiſſe factũ, quid tandem agemus? mutabitur ne religio, quæ tanto tempore tua ipſius confeſſione du-

Cõparatione inſtituit, vtrũ melius ſit, nõ exigere calicẽ an perturbata diuiſa q́ eccleſia cõmunionẽ catholicã vna cũ ſalute amittere.

H rauit

rauit in ecclesia: aut si hoc fieri non potest, nec debet, liberum ne erit sequi, quod cuiq; commodum videbitur: atq; ita tādem paci concordiæq; consulendum: Mihi vero minime videtur Buccere, non solum quia per se dubia res periculosaque est, sed etiam quia nefas esse puto violari vnitatem ecclesiæ, quam omnibus humanæ prudentiæ rationibus anteponendam esse censeo. An vero tu fas vnquam fuisse, aut hodie esse putas, vlla de causa, quę humano ingenio comprehendi possit, tentari vnitatem coniunctionis ecclesiasticæ: laxari compagem corporis Christi: dissolui ac dirimi societatem illam, quæ tam arcto vinculo connexa est, vt sine maximo periculo grauissimaque innumerabilium animarum iactura labefactari non possit: Hæc est enim arca illa patris Noe, quæ in toto orbe terrarum vnica, fluctuat in aquis horum temporum, extra quam nemo saluus esse potest. Hic est hortus ille conclusus, de quo scriptura loquitur, Hortus conclusus soror mea sponsa. cuius maceriam nemini scindere, nemini attentare licet. Magna vis est vnitatis ecclesiasticæ, magna arctissimaque coniunctio: quam qui violat, non vnum hominem, sed totam fidelium congregationem, neque hanc solam, sed Christum ipsum, qui caput eius est, violat. qui quanta dilectione, quanto affectu

Vnitas ecclesię, extra quam nemo saluus esse potest.

fectu sponsam hanc suam complectatur, his verbis satis indicat, Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. Et eodem in libro, Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc vnam & indiuiduam, vniq; sponso sibi copulatam tanti fecit, vt mori pro ea voluerit, vt neminẽ nisi intra cõplexum eius saluum fieri, neminem extra eandẽ agnosci ꝓ suo, vitaq; potiri velit. Hanc tu perturbari sine scelere, hanc sine crimine ac sacrilegio, non dico violari, sed leuiter offendi posse putas? Audi quid dicatur in euangelio, Qui offenderit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt, melius ei foret, vt circundaretur lapis molaris collo eius, & in mare abijceretur. Quanto existimas grauius esse, non vnum pusillum, sed multos offendere? nec pusillos tm̃, sed ciuitates, populos, natiões, atq; adeo ecclesiam totam, nõ dico offendere, sed grauissimo perturbare dissidio, ac prope in vltimum discrimẽ adducere? An tu externam illam calicis effigiẽ in eucharistia tãti apud quẽquam fieri oportuisse putas? vt nisi redderetur laicis, hæc talia & tanta fieri licuerit? quæ si porrigitur, prodest ad salutem digne sumentibus, si non porrigitur, bibitur nihilo minus, & ꝓdest pariter ad salutem recte credentibus. Quid igitur detrimenti fieri potest? Hanccine causam

idoneam quiſquã eſſe putat? vt quia nõ guſtat calicem in euchariſtia, idcirco ſacrilegos faciat põtifices, erraſſe concilia, populum fraudari ſacramẽtis clamet, ſeceſſionem faciat? Equidem nihil mentior Buccere, cum ad vos defecit aliquis hoc omni ſeceſſionis tempore, aut cum hodie deficit, non aliunde fere quam a calice ſumitur initium. non alia de cauſa, vt opinor, quã vt hoc quaſi ſymbolo teſtetur ſe veterem relinquere, nouam agnoſcere ecclesiam. Quaſi vero alia ſit extra hanc vnam, quæ durauit tanto tempore; aut ſi hæc non eſt, alia vſq̃ eſſe poſſit. Quanto ſatius erat docere populum, a maiorum inſtitutis temere declinandum nõ eſſe, non inquirendum in decreta eccleſiaſtica, ſpũ ſancto regi cõcilia patrum, ita traditum a maioribus, ita poſteris tenendum eſſe. Non deeſſe ſacramẽtis, quod non appareat. Rem myſticam eſſe. Non viſibili ſpecie magis quã fide percipi. Quod deeſſe videatur, diuina ſuppleri benignitate. Non eſſe relinquendam eccleſiam, quæ mater nos ad vitã cœleſtem genuerit, quæ Chriſto nuncupauerit, quæ prima nobis alimenta ad vitã præbuerit. Omnem magnis in rebus mutationẽ piculoſam eſſe. Chriſtum eccleſiæ ſuæ nunq̃ defuiſſe. Primum per ſeipſum, mox per apoſtolos, deinde per patres doctrinam neceſſariam tradidiſſe, nullorum tempo-

rum.

rum documenta non suggessisse. Præfecisse ministros cum potestate, quorũ prima sit authoritas. His interpretationem verbi, dispensationem sacramentorum creditã, ab eisdem, non aliunde petendam esse. Hos quia homines sint, labi atque errare posse, ecclesiæ cœlitus prospici, huius doctorẽ dei spiritum inuocandum assidue, huic fidẽdum esse. Non vitam clericorum puersam, sed doctrinam sequendam esse. Orandum pro omnibus, vt cessent vitia, vindictam deo relinquendam esse. Hæc ita Buccere si fierẽt hodie, aut si ante viginti annos a nouis concionatoribus facta fuissent, quantos videret ecclesia fructus? q̃nto plus pacis & cõcordię Germania, q̃nto simultatũ minus haberet? Non potest res salua esse, vbi deest concordia, nec quicquam nos arctius cõiungit quam mutua dilectio. Hæc vinculum est societatis ecclesiasticæ, hæc corporis huius, cuius caput est Christus, connexio. Quanto igitur studio hæc ipsa commendatur nobis in euangelio, quoties vox illa diuinæ charitatis inculcatur? Mandatum nouum do vobis, inquit, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis inuicem. Et, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. &, Hæc mando vobis, vt di-

Charitas vinculũ vnitatis.

ligatis inuicem. Sed & vas illud electũ dei quãta diligentia monet suos, vt diligant inter se, & vt alij ꝓ alijs soliciti sint, vt vitent schismata, vniusq; corporis in Christo integritatẽ seruent. Itaq; tanta commendatione charitatem extollit, vt illã oĩbus charismatis anteponere non dubitet. Obsecro vos, inqt, ego vinctus in dño, vt ambuletis digni vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia tolerãtes inuicem per charitatem, studentes seruare vnitatẽ spiritus per vinculum pacis. Et alio in loco, Obsecro vos fratres per nomen dñi nostri Iesu Christi, vt idem loquamini oẽs, & non sint in vobis schismata, sed sitis vnanimes eadem mente, eadem sententia & voluntate. Significatum est enim mihi, quod cõtentiones sint inter vos, & quod vnusquisq; vestrum dicat, ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephę, ego vero Christi. Num diuisus est Christus? Hęc schismata Buccere iam tum erãt in ecclesia, sed leuiora, nec tantis de rebus, & tamen non ferenda videbantur Apostolo, quia ecclesiam perturbabãt, corpus Christi diuidebant. Quanto grauiora putas hodie suscitata esse? quanto cum periculo ecclesię? quanta cum iactura animarꝫ fidelium? quanta diuinæ maiestatis offensione? Hic igitur vt excusationẽ vllam, vt causam recuperandi calicis quisq̃ prætexere conetur?

tur? Vtrum tandem grauius esse censes? carere poculi gustatione in communione eucharistiæ? an vt de tota communione ecclesiæ in periculum venias, gustãdo committere? Quid enim interest? cum nullis communices? an gustes cum paucis? cum vtrumuis facias, necesse sit, aut communicãdo cum multis a poculi gustatione abstinere? aut gustãdo cum paucis extra eorundem, qui abstinent, cõmunionem esse? Neq; hic recipio axioma vestrũ, non ex numero multitudinis, sed ex societate piorũ, cõmunionem spectãdam esse. Primum eñ temeritatis est, affirmare de paucis, q̊d soli iusti sint, cæteros oẽs condemnare. Deinde non vnius gentis aut sectę vnquã fuit catholica ecclesia, sed oĩm locorum, personarum ac temporũ. Agnoscis eñ vim verbi, quid sit catholicum esse. Quęro igiť ex te, num ante triginta annos calicis communionem habuerit Germania, Italia, Gallia, Anglia, Hispania, quam maiorem certe partem orbis Christiani esse, vel potius totum fere nomen Christianum, nemo est, qui negare possit. Quomodo igitur dicitis paucorum communionem catholicam esse? vniuersorũ, qui sub illo noie vere comprehenduntur, nõ esse? aut, non paucos a multis, sed multos a paucis, hoc est, catholicos, si dijs placet, a Lutheranis secessisse? Sed de his suo loco, cum de ecclesia tibi respon-

ſpondebimus. Nunc illud te Buccere etiam atq; etiam cogitare tecum, atq; ita, vt res poſtulat, reputare velim, quantum mali ex hac re ſuſcitatum ſit, quod contra receptam tanti temporis eccleſię conſuetudinem aliquis docere atq; in vulgus proferre auſus ſit, calicem male ademptũ eſſe laicis, fraudem populo factam eſſe, ſacrilegium in eucharistia maximum tãto tempore commiſſum. Quod ſi ita factum eſſet, tamen parci oportebat vnitati eccleſiaſticæ, conſuli tranquillitati, nihil populariter, nihil turbulẽte agi tanta in re, ſed referri ad publicum conſiliũ. ſi quid ſtatuendum reformandũue eſſet, illius prudentiam, illius authoritatem expectari. Nunc autem quæ, malum, ratio huc impulit? vt dum calicis vſum flagitamus intemperantius, non ſolum illum minime conſequamur abiecta charitate proximi Chriſtiq; corpore violato, ſed etiam eccleſiæ vnitatem, extra quam ſacramenta nulla ſalubria eſſe poſſunt, perdiderimus? Sancti patres cum diſſentirent interdum de magnis rebus, tamen huc nunquam progreſſi ſunt, vt recederent ab vnitate eccleſiæ, in qua non ſuam modo, ſed etiam vniuerſorum ſalutem contineri non ignorabant. Lege, quæ de hac re ſcribat diuus Cyprianus, quæ Auguſtinus cõtra Donatiſtas. quanto hic odio grauet ſchiſmaticos, qui a communiõe

Epilogus.

catho-

catholicorum ſeceſſerant, quantis laudibus ferat Cyprianum, qui cum de rebaptizandis hæreticis cum tota Aphrica diſſentiret a cæteris, tamen cõmunionem eorum ſibi minime relinquẽdam eſſe putarit. Huius tu ſententias exquiris ad alendam diſcordiam in eccleſia? exempla negligis? Quæ hæc eſt cõſtantia? Vtinam malles facere, quæ imitanda nobis diuus Cyprianus propoſuit, quam verba de ſcriptis eius ad commoditatem tuã excerpere. Equidem vereor, ne multa in aduerſarios ſcripſerit Auguſtinus, quæ hodie in te ac tuos cõpetant. Quod tamen vtinam falſum ſit. Neque enim aliud cupio atq; opto tibi, quam vt velis cõcordi animo atq; ſententia nobiſcum in vnitate catholica ita viuere, vt cœleſti communiõe aliquãdo pariter frui poſſimus. Sed ſatis de diſpenſatione euchariſtiæ, de qua ſi recte ſentio, habeo hoc certe cum maxima parte nominis Chriſtiani commune. ſin minus, facile patiar me redargui & doceri modeſte, id quod minime in cõfutatione tua abs te factum eſſe doleo. Equidem nunquam in hac quæſtione peruicax fui, id quod teſtatur epiſtola mea, ſed ab authoritate maiorum, catholicaque vnitate vt recederem, nunquam committendum eſſe putaui.

DE INVOCATIONE DIVORVM.

VENIO igitur ad alterū caput dissensionis nostræ, quod de inuocatiōe diuorum propositum est. Hanc inuocationem appellant omnes, non, vt diuino cultu inuocentur diui, sed vt orent intercedantq; pro supplicantibus, diuinumq; auxilium nobis precibus exposcant. Sed dé verbo né in epistola quidem mea solicitus fui, nec video inter nos controuersiam esse. De re autem quęritur, primum orent sancti pro nobis, nec ne. Deinde si orant, vtrum inuocandi, siue appellandi, sint a nobis, vt id quod alioqui facere creduntur, faciant. an potius talis inuocatio impia, vt tu sentis, atq; etiam pro idololatria habenda sit. De his duobus Bucere etsi disputatum est in libro tuo contra me, tamen de altero tantum fuit mihi tecum controuersia, nēpe, orarent diui pro nobis, an non. quod cum abs te negari putarem, tuq; eius mentionem fecisses in epistola tua, quasi ego impie dè hac re sentirem, defendi in responsione illa sententiam meam. De altero autem ne suspicatus sum quidē vllam

Propositio.

con-

controuersiam fore, quin si orent pro nobis diui, appellandi etiam siue inuocandi sint. Neque enim multo iam tempore legerã libellos vestros, quos tamen qui legunt, varie & inconstanter scriptos esse affirmant. Verum vtcunq; sit, error versatus est in loco illo responsionis meæ, quem tu quia inciuiliter exagitasti, non puto mihi prætereundum esse. Nunquam ignoraui Buccere, neq; in disserendi artibus tam rudis sum, vt nesciam statū, quem vocant, siue id de quo agitur, in omni disputatione spectandum, omnemq; vim orationis eodem conferendam esse. Sed cū putarem te diuorũ inuocationem idcirco reprehēdere, quia non orarent ꝑ nobis diui, ac ne sensum quidem vllum nostrarũ rerũ haberēt, idcirco cum instituissem epistolam ad te, nec paratam haberem materiã, vsus sum cōmunibus locis, q̃s legendo forte audiendoue meminerã. quibus questionem illã ita non explicaui quidem, sed solum attigi, id q̃d res ipsa ostendit, vt aliena authoritate magis ac fide, quam proprio Marte locum illum transactū dimiserim. Illã iniquitatē tuam miror, de qua antea etiam conquestus sum, q̃d cum nullis argumentis neq; scripturis, id quod tu ipse fateris, vsus sim, nisi quibus vtuntur ij, qui ꝑ theologis tanto tempore habiti sunt, quique habentur hodie a vera catholicaq; ecclesia, quæ te ac

Excusat errorē circa statū quæstionis, & argumentorum genus defendit.

tuos condemnat, nihil veritum esse te, grauem alioqui prudentemque virum, reprehendere me atque illudere etiam mihi, quod eisdem probationibus, quibus illi vterentur, in hac quęstione vsus essem. Vtrum enim turpius esse putas? me, quē nouum theologum appellas, vti veterum theologorū sententijs in defendenda veteri doctrina? an te veteranum in theologicis literis, non theologorum, sed tuis nouis inuentis ea, quæ ab illis spectata, prodita, confirmataque sunt, oppugnare? Nam quod cauillaris, ex loco secundi libri Machabęorum a me citato nullum dogma statui vel probari posse, scire debes hunc librū, si non inter canonicas Hebręorum, certe inter ecclesiasticas scripturas receptum esse, vt diuus Hieronymus testatur, authoritatemque eius, non ab huiusmodo superiorisque seculi theologis, sed etiam a patribus, & quidem vetustissimis citari. Deinde quod eundem locum perperam a me citatum arguis, in hoc video te, aut non recte perspexisse verba mea, aut parum candide ansam reprehendendi quæsisse. Lege enim & iudica, inuenies Machabęū vidisse Oniam sacerdotē orantē pro populo, sed & Hieremiam iuxta hunc astantem, de quo Onias dixerit, Hic est, qui multū orat pro populo. Quæro igitur ex te, cum Oniam viderit Machabæus dicentem de Hieremia, quod

Locus ex 2. lib. Machabęorum defenditur.

Bucce. pag. 47

oraret pro populo, an non viderit idipſum, quod res erat? nempe Hieremiam quoqꝫ orantem pro populo. Quod ſi verum erat, videbat certe Machabæus, quod abs te negari non poteſt. Sin falſum, mentitus eſt Onias, qui quod dicere illum videbat Machabæus, Hieremias non faciebat. Ita fit Buccere verum, quod ſcriptũ eſt a me. aut confitendum tibi eſt, non fuiſſe veram Machabęi viſionem, aut certe Oniam de Hieremia mentitum fuiſſe. Nam quod per ſomnium nihil probari dicis, id certe hanc vim habet, vt ſi recipiatur, nulli ſomnio in ſacris literis credendum ſit, quę tamen multa certiſſimaqꝫ ſunt, quorum veritas cum vel authoritate ꝑſonarum, vel rerũ exiſtentia, vel euentu ipſo comprobata ſit, quid te mouet in hoc ſancti fortiſſimiqꝫ viri ſomnio? victoris per eum, quem rogari viderat pro populo. ea autem in re, quam tu ipſe veram eſſe negare non audes. quid, inquam, mouet te, cur huic minus fidei, quam cæteris viſiõibus tribuendum putes? Sed venio ad controuerſiam. Fateris diuos orare pro nobis, quamuis ea, per quæ hoc ipſum probari oportebat, oppugnare nõ ceſſes. Ex quo intelligitur, non ex animo proficiſci confeſſionẽ iſtam, ſed expreſſam eculeo veritatis, extortamqꝫ abs te eſſe. Sed vtcunqꝫ ſit, hoc certe fateris, diuos orare pro nobis. Alterũ igitur in con-

Status huius quæstionis. trouersia relinquit, Sint ne inuocãdi, q̃s, p nobis orare fatemur, an suo potius studio officioq; relinquẽdi. In hac quæstiõe Buccere illud primũ abs te peto, vt si a te dissentire coget me res ipsa, vel certe maiorꝝ authoritas, cuius maiorẽ quã priuati hoĩs rõnem haberi oportet, ne me existimes tã impiũ eẽ, vt sciẽs idololatriã ĩ ecclesia dei defẽdere, aut etiã ad illã, sicut tu de me calũniose scribis, cõniuere velim. Nã illud fere accidere solet ĳs, q̃ a vobis dissentiunt, vt cõtinuo sacrilegĳ atq; impietatis odio grauent̃ criminatiõibus vr̃is, id q̃d vidi fieri in alĳs, in me aũt nũc ipa re expior. Scripsisti em̃ in libro tuo

Bucce. pag. 51. deplorãdũ esse, q̃d hoĩes docti & episcopis familiares, me designãs, adeo nihil moueant̃ aptis nefarĳsq; in deum conditorem nostrꝝ cõtumelĳs, vt sanã etiam doctrinã, qua sola populus eripi ac liberari possit ab inueterata impietate atq; idololatria, impugnare nõ dubitẽt. Agnoscis vba tua, plena calũniæ, si qua vnq̃ in innocentẽ coniecta fuit, indignissimæ. Ego ne dissimulaui vnq̃, quæ viderem improbe vel intemperant̃ in hoĩem queq̃, nedũ in deum cõditorem redemptorẽq; nostrꝝ impie nefarieq; fieri: tu tm̃ crimen Buccere in me stilo illo tuo improbissimo obĳcere audes: q nec his moribus vixi vnq̃, neq; talem existimatione apud bonos viros merui, vt tã atrox maledictũ in me cõuenire ne inimici quidẽ mei vnq̃ putarint. Quod si in hac tã-

tā tāq; insigni iniuria vlcisceda oēm vim animi atq; irę in te effunderē, si oīa vndiq; vicissim in te colligerē criminationū tela, vt quacuq; vi possem, tātā maledicti acerbitatē a noīe atq; existimatiōe meā depellerē, qs vel iniqssimus in me iudex factū meū rephenderet? aut qs nō iudicaret gratiā a me potius tibi iustissimā esse relatā? Sed reprimā me hoc tēpore, rōnemq; habebo modestiæ meæ, nō solum qa longū molestūq; est mihi alijs studijs occupato, psequi singula, q̄ tu magno volumine congessisti, sed etiam qa pudet me maledictis potius q̄ honestis rōnibus tecū certare, q̄r tractatio cū optimo cuiq; molesta est, tū vero mihi molestissima accidit, q in hoc certamē inuitus pterq; opinionē cōsuetudinēq; meā ptractus veni. Nā diui in vrbe Treuirorū, inq; Cœnobio Epternaco saltēt an ambulent, nihil ad me, cū harū rerū cognitor in archiepiscopatu Treuirēsi cōstitutus nō sim. Neq; vt gratia aliq̄ fortasse valeā apud illū, q rebus pēst, ppter veterē studiorū cōiunctionē, tn̄ eo loco sum, aut eē cupio, vt gubernacula ecclesię Treuirēsis in mea ptāte habeā, neq; si haberē, ex tua tn̄ sentētia moderari illa atq; in hāc vel illā partē flectere mihi fas eē putarē. Sed venio ad causam. Vtrū inuocandi sint diui, vt orēt p nobis, nec ne, quæstio inter nos vertit̄. Ego Buccere de his rebus nihil vnq̄ ex propria sententia mea statui, neq; fas esse mihi putaui. Itaq; si qd scri-

Epternacū, in Ducatu Lucemburgēsi

ſcripſi,aut nunc etiam ſcribo coactus tempore & cauſa,id totum ita accipiẽdum eſt, vt mea quidem ſit oratio, res autẽ & argumenta ex theologorum

Bucce. pag. 43. officinis cõparata. Sed tu in principio huius quæſtionis reprehendiſti me tanquam parum conſultum, imo etiam vt temerarium, quod conarer meam ſententiam nõ ſolum ſcripturis diuinis, ſed etiam authoritate patrum adſerere, optans vt legiſſem patres tam diligenter, quam citarem confidenter, didiciſſem certe ipſos irreligioſum & in ſpiritum ſanctum contumelioſum iudicare, in controuerſijs religionis authoritatem hominum obijcere, priuſquam ſentẽtia Chriſti ex diuinis literis cõprobata eſſet. Hæc fere ſunt verba tua, ex quibus illud ſtatui abs te video, nihil ex authoritate patrũ recipiẽdum eſſe in cauſis ad religionem pertinentibus, niſi expreſſa diuinarum ſcripturarum ſententia confirmatum habeatur. Hoc quale ſit Buccere, mox videbimus. Nunc illud tecum ſentio, primam & irrefragabilem, vt vocant, ſcripturæ authoritatem eſſe, id quod non primum nunc ex te diſco, ſed tunc ita prorſus ſenſi, cum epiſtolam meam ad te ſcriberem. Itaq; non humanas tantum, ſed etiam diuinas authoritates protuli, non quas ego inueniſſem primus, ſed quibus in eãdem ſententiam non huius modo ætatis, ſed vetuſtiſſimi

etiam

etiam theologi vſi fuiſſent. Quo loco illud abs te quæro, qui negaſti ante mille & ducentos annos, ſicut ego ſcripſerim, diuorum inuocationem fuiſſe in eccleſia, quo pudore interceſſionem, de qua ſola quæri putabam, & ad quam ſolam pertinuit oratio mea, dum eſſe & fuiſſe fatearis, argumenta tamẽ eiuſdem ac teſtimonia oppugnes? An vero Cyprianus, Baſilius & Chryſoſtomus, vetuſtiſſima eccleſiæ lumina, diuos orare pro nobis, certiſſima ſententia ſua ſcriptum teſtatumq; ante mille ducentosq; annos non reliquerunt? Confer enim tempora, & inuenies Cyprianum ſub Valeriano mille hinc & ducẽtis octoginta quinq; annis martyrio coronatum, Baſilium & Chryſoſtomum ſub Conſtantino magno annis circiter mille & paulo minus ducentis floruiſſe. Sed tu fateris interceſſionem, inuocatiõem a me requiris, a me, inquam, qui tanto tempore illam in eccleſia fuiſſe ſcribere auſus ſim. Primum nego me de inuocatione egiſſe tecum, ſed de interceſſione, quam credebam negari abs te, eandemq; vſitato inuocationis nomine appellabam, id quod res ipſa oſtendit. Deinde ſi hoc nõ ſatis eſt tibi, ſi me tergiuerſari putas, & hũc quaſi ſcopulum fugere, etſi nihil negocij hic tecum mihi eſt, tamen minime detrectabo, paratus ſum hic etiam conſiſtere contra te, & docere id, quod

K tu

tū probari poſſe non putas, ante mille ſcilicet du=
centosq; annos inuocationem diuorum eccleſiæ no
tam fuiſſe. Verū illud prius mihi refellendum eſt,
quod tu contra eccleſiæ authoritatem non hoc tm̄ po
ſuiſti in loco, ſed in omni diſputatione tua obijcere
ſoles, nihil ſine expreſſa ſcriptura ſtatuendum de
religione, nihil extra eandem recipiendum eſſe. In
quo equidem video te ſummum firmamentum aſ
ſertionum tuarum omnium conſtituere. Hoc ſi ve
rum eſt Buccere, ſi nihil ſine expreſſa ſcriptura=
rum authoritate ſtatuendum recipiendumue eſt
in eccleſia, quæro ex te, cur prima eccleſia ſtatuerit
a ſanguine & ſuffocato abſtinendum eſſe? An quia
præceptum erat in Geneſi, ne ſanguinem cum ſuf
focato comederent? At legis vmbra per lucem
euangelij diſcuſſa iam erat, dixeratque Chriſtus,
Quod intrat per os, nō coinquinat hominem, ſed
quod procedit ex ore. Et Paulus, Eſca & potus nō
eſt regnum dei, ſed iuſtitia & pax. Cur igitur abſti
nendum ab eo pręcepit eccleſia, quod nō ante præ
ceperat CHRISTVS, ſed liberum eſſe iuſſerat?
Quæro item, cur baptizandos eſſe infantes ſtatue
rit poſterior eccleſia, quod prima non niſi in tēpo
re neceſſitatis faciebat? vbi hoc in ſacris literis ſcri
ptū? vbi expreſſum ſit? Illud etiam quæro, cur ba=
ptizatos ab hæreticis non rebaptizet eccleſia, ſed

Bucce. pag. 45. in prin=cipio.

Refelli=tur ſen=tentia Bucceri, in qua il le firma menta ſua cōſti tuit.

pro

pro baptizatis recipiat? vbi hoc scriptura permittat expressa? aut ex quo loco canonicæ scripturæ probari possit? præsertim cum scriptum sit, Vnus dominus, vna fides, vnum baptisma. Quæ cum in ecclesia tantum sint, hæretici autem sint extra ecclesiam, non videntur apud illos esse posse. Item, Qui non est mecũ, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Quæ certe videtur hæreticorũ baptismum irritum facere. Hæc igit̃ scripta cum sint, quas tu cõtrarias scripturas adfers, quibus q̊d hic vitari videt̃, expresse p te cõfirmari possit? Deinde illud etiã inter cetera ex te quæro, dñicum diem adhuc in ecclesijs vestris, itẽ natalem dñi, aliosq́, opinor, festos dies nonnullos colitis. quæro igit̃, per quã scripturã hoc recte fieri ꝓbetis? hos scilicet dies festos esse oportere? An non oĩs lux a deo creata est? Quod si in locũ sabbati dominicum diem cessisse dicitis, cur sancti sunt cæteri? cur solennius etiam quam dñicus celebrant̃? an alios etiã præter septimum scriptura sanctos esse iussit? Multa alia ꝓferri possunt de veteri ecclesia, quæ ex nullis certis proprijsq́ scripturis confirmari possunt. Et tñ ad religiõem ita ptinent, vt quędam ad dispensationẽ sacramentorũ multorũq́ salutẽ sint necessaria, quædã sine piaculo omitti nõ potuerint. Quõ igit̃ negas sine expressa scriptura qcq̃ statui aut recipi

K ij opor-

oportere in ecclesia? An hæc, quæ dixi, statuta sine scripturis? an sine expressa earum authoritate recepta non sunt? Nisi forte verbis quidem expressa non fuisse non negas, in mente tamen voluntateq; earum posita vim causamq; parem habuisse contendis. Recte sane. Hoc enim video tibi confitendum esse. Cur igitur nō idem fateris in hac etiam quæstione nostra? cur non idem alijs multis in rebus, de quibus inter nos controuersia est? Vide obsecro, quam parum constes tibi. Fateris diuos orare pro nobis, & tamen hoc ipsum negas vlla expressa scriptura probari posse. Idē negas eosdem inuocandos esse, quoniam id nulla scriptura probari possit? Quæ est hæc inconstantia? Credis diuos orare pro nobis, & tamen hoc nulla tibi scriptura probari potest. Idem negas diuos inuocandos esse, quia id nulla scriptura probari possit. Ergo scriptura sola fidem facit tibi, an non? si sola, cur credis, quod scriptura expressum non est? si non facit, cur plus hoc credis quam illud? cum neutrum, vt tu vis, scriptura certa exprimatur. Neq; hic ego ita sentio, vt probem illud, quod abs te positum est, idcirco aliquid statuendum nō esse, quia literis sacris expressum non sit, cum Dialectica docuerit me, locum ab authoritate negatiuum firmum non esse: sed vt ostendam tibi inconstantiam

Inconstantia Bucceri

am

am rationis tuæ, qui cum soli apertæ scripturæ fidem haberi velis, illud tamen etiam, quod extra eandem est, confiteri inueniaris. Maneat hoc igitur in causa ista, quod negari non potest, multa statui ac recipi, multa statuta receptaq; esse apud patres maioresq; nostros in ecclesia, quæ nulla canonica scriptura expressa sint, sed tamē ducta ex fontibus diuinæ sapientiæ, perq; eūdem spiritum suggesta sanctis ecclesiæ doctoribus, per quem sacrorum voluminū oracula diuinis scriptoribus inspirata fuerunt. Hęc cum ita sint Buccere, putas ne rectum piumq; aliquid videri potuisse patribus, quod tamen in canone scripturarum expositum non sit? rectum piumq; dico. Nam quod genere aut vsu abhorret a pietatis regula, quod disciplinę Christianæ, moribus ecclesiæ, sacramentorum religioni contrarium est, id nō solum recipiendum non est, nec statuendum vllius authoritatis prætextu, sed profligandum etiam, ac procul ab ecclesiæ finibus exterminandum esse censeo. Hæc autem inuocatio, quam tantopere oppugnas contra me, si recte ac pie, si modo & ordine fiat, quid obsecro impietatis, q̄d vitij habet in ecclesia? An vero obscurat gloriam Christi? qui solus mediator ad patrem, solus a laborantibus inuocandus est? Hoc enim dicitis vos, & hoc vnum est, opinor, quo ocu

Conclu dit q̄d ef fectū est

Inuocatio recta, minime impia.

Christus mediator, propitiationis, orationum nostrarum etiam diui.

los multorum præstringitis. Quid? Solis radij illustrant orbem terrarum, vigoremque præstant cunctis, quæ cœlo subiecta sunt. Num idcirco lux illa viuifica, dignitasque cœlestis globi minuitur? Magna & ineffabilis vis est diuinæ clementiæ, quæ interpositis sanctorum suorum precibus, etiam hac via se nobis ingerit: cuius bonitas nec communicata fit minor, nec contenta proprijs, hoc est, immensis finibus, amplitudinem munificentiæ suæ terminat. Iam vero quantum diligit electos suos dominus, quanto honore coronat deuotos sibi in hac vita spiritus. Preciosa in conspectu domini, inquit, mors sanctorum eius. Iam non dicam vos seruos, sed amicos. Vos videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die cognoscetis, q̃a ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Amen dico vobis, qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado, & quodcunque petieritis patrem in meo nomine, hoc faciam, vt glorificetur pater in filio. Hæc omnia ostendunt, quanta charitate suos complectatur dominus, quanti fecerit eos in hac vita, quanti hodie faciat, dum se in illis & illos in se & secum illos in

patre

patre futuros esse promittit, dum omnia sibi cum illis & cum patre communia fore dicit. Quis igitur diuinæ bonitatis tam iniquus æstimator est, vt impium esse dicat, eos, quos dominus in hac vita tam charos habuit, quos tam arcta communione sibi sociauit, hoc etiam honore prosequi, vt collata in eos quasi precum nostrarum prærogatiua rogari per illos in nostris necessitatibus, eorundemque interuentu auxilia sua impetrari velit, non ad retardationem diuinæ misericordiæ, quam ipse præsto semper omnibus exhibet, sed ad ædificationem fidei, vt Augustinus inquit, & ad prouehendam militãtis ecclesiæ alacritatem. Etenim dum ad inuocatiões nostras indulget sanctorum suorum precibus, quid aliud nobis quam merita illorum commendat? quam rata esse iubet illorum patrocinia, quibus nos freti potius quam nostra innocẽtia, supplices votorũq; fœlices ante thronum maiestatis eius cõpareamus? Non igitur obscurat gloriam Christi hæc supplicãdi religio, sed illustrat, neq; auertit nos a fonte diuinæ misericordiæ, sed ad eundem inuitat. Hæc sunt enim amplificata infirmitatis nostræ præsidia, hæc commertia supernorum ciuium, qui quanuis meliorem vitæ conditionem adepti sunt, tamen charitatem erga nos pristinam minime deposuerunt.

Sed

Sed hæc rides opinor, & commenta papiſtarum appellas. Lege igitur non huius ætatis, non prioris ſeculi, ſed antiquiſſimos theologos, Baſilium dico, Nazianzenum, Ambroſium, Auguſtinum, diuinarum ſcripturarum peritiſſimos, præcipua eccleſiæ lumina, videbis religionem hanc illorum temporibus fuiſſe in eccleſia, hoc eſt, ante mille & ducentos annos, quanuis tu tanti temporis probationem illudens a me requiras. Etenim Baſilius quadraginta martyres, quos celebrat, communes humani generis cuſtodes, curarum ſocios, legatos orationum noſtrarum, adiutores precum, eccleſiæ flores, mundi lumina appellat. Nazianzenus etiam inuocat defunctum Baſilium, & ab eodem valetudinis auxilium flagitat. Tu obiter, inquit, e cœlo nos reſpice, & datam mihi renum debilitatem, & articulorum dolorem, vel iube diſcedere, vel adiuua & hortare me, ita æquo ferre animo, vt hinc demum diſcedentem me in æterna tabernacula recipias. Ambroſius queritur defunctum fratrem ſuum non potius annos plurimos quam breue tempus viuendi a diuo Laurentio impetraſſe, Tuis enim votis, inquit, apud ſanctum Laurentium impetratum nunc cognoſcimus cõmeatum, atq; vtinam nõ ſolum commeatum, ſed etiam prolixum vitæ tempus rogaſſes. Potuiſti annos pluri

Baſilius in 40. martyres.

In Monodia in Baſilium.

Ambr. in obitũ fratris ſui Satyri.

mos impetrare viuēdi, qui potuisti commeatum impetrare veniendi. Quid de Augustino dicam? quantam hic testificationem huius rei? quantam commendationem reliquit? dum & ipse alicubi diuos inuocat, & alio in loco causam exponit, cur suos a nobis celebrari dominus, cur in periculis nostris inuocari velit. Quanquam tu locum eiusdem citasti contra me ex libro de ciuitate dei, vbi de inuocatione ita scriptum sit. Nos autem martyribus nostris non templa sicut dijs, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud deum viuunt spiritus, fabricamus. nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed vni deo & martyrum & nostri sacrificium sicut homines dei, qui mundum eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, inuocantur. Et exclamas in fine, Vtri iam? tibi, an Augustino de vsu ecclesiæ dei ante mille & ducentos annos credere iubebis? Ego vero Buccere iam ante professus sum, me in hac causa nihil de meo sensu, sed omnia ex maiori authoritate statuere. In te autem illud miror, quod putaris vllum sententiæ tuæ suffragium ex hoc loco colligi posse. Quid enim obsecro te hic aliud agit Augustinus, quam quod memorias martyrum ab idololatriæ suspitione contra gentilium obtrectationes

Aug. de spū & anima, & de cura p mort. gerēda.

Ex libro 22. de ciuita. dei cap. 10.

Bucce. pag. 46.

Diluitur obiectio, & exponitur locus Augustini.

defendit? ne coli ſcilicet, neue inuocari videantur pro dijs, quemadmodum illi calumniabantur. Idem ego ſentio Buccere, nolo diuinum cultum exhiberi martyribus, nolo inuocari eos pro ſaluatoribus, vt remittant peccata nobis, vt ſaluos nos faciant, cum hoc ſolius dei ſit proprium, nec ſine idololatria vlli creaturæ tribui poſſit. Quid igitur facit hic locus contra me, in quo tu maggnum præſidium conſtituiſſe videris? Negat Auguſtinus templa condi martyribus. Num ego iuſſi illis fieri? aut etiam ſic facta defendi? Conſecrantur templa memorijs martyrum, non vt dijs nuncupantur. Itaque memorias ait fabricari martyribus. Vos ea ſuſtuliſtis de templis, ac ne ſimulachris quidem illorum pepercíſtis. Nomina eorundem recitabantur a ſacerdote in ſacrificio. Hoc quoque a vobis ſublatum eſt, & quaſi idololatricum eſſet, de canone ſacrificij eraſum. Non inuocabantur, inquit, martyres a ſacerdote in ſacrificio. Nihil hoc ad quæſtionem noſtram. Non enim de ſacerdotis inuocatione in ſacrificio, ſed de inuocatione fidelium ſimpliciter inter nos quæritur, fuerit ne Auguſtini temporibus inuocatio in vſu apud fideles in eccleſia, an non fuerit. Quanquam de ſacrificante, cur ille non vtatur hac inuocatione in ſacrificio, reſpon-

ponſum eſt tibi a Colonienſibus, non argute magis quam vere, vt opinor, etſi tu hoc ipſum cauillaris. quia non habes opinor, quid reſpondeas, id quod res ipſa oſtendit. Nec valet tua oppoſitio de ſacrificantis precatione, quod ea omnibus etiam priuatis exemplo eſſe debeat, vt quoniam ille non inuocet diuos, neque a nobis inuocandos eſſe. Alia enim ſacrificantis ratio eſt, qui ſacrificium ſoli deo offerens ſolius dei nomen inuocat, alia extra ſacrificium, eorum, qui ſuffragia vndique colligentes, primum CHRISTI, deinde per eundem ſanctorum quoque merita allegant. Hoc tu Buccere ex eodem loco ſi ipſe nolebas intelligere, certe lectori intelligendum præbere poteras, niſi abrumpere orationem, quam complere, maluiſſes. Sequitur enim continuo, Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quanuis in memoria ſacrificet eorum, quia dei ſacerdos eſt, non illorum. Ipſum vero ſacrificium corpus CHRISTI eſt, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi, quare & in memoria eorum ſacrificatur. Ex quo intelligitur, ſolum deum hic inuocandum eſſe, cui ſoli hoc ſacrificium per manus ſacerdotis pro populo offertur. Hæc cum vera atque diluci da ſint ex ipſius Auguſtini verbis, quid habes, quod opponere poſſis? quomodo confirma-

Cur ſacrificãs non vtatur diuorum inuocatione in eccleſia.

bis sententiam tuam? imo quomodo meam infirmabis? Sed nunc audi vicissim contraria Augustini testimonia, quæ ita clara apertaque sunt, vt omnem cauillationem prorsus excludant. In libro de cura pro mortuis gerenda, quem tu pariter citas contra me, ita scribit de inuocatione, quomodo scilicet martyres inuocati sua nobis auxilia prestent. Hinc & illa soluitur quæstio, inquit, quonam modo martyres ipsis beneficijs, quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis, si nesciūt mortui, quid agant viui. Non enim solis beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus confessorem apparuisse Felicem, cuius inquilinatum pie diligis, cum a Barbaris Nola oppugnaretur, audiuimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Vides Buccere beneficia martyrum, quæ dantur orantibus. Quibusnam orantibus? nisi qui ita inuocantes orant? Sancte Felix ora pro nobis, Omnes sancti martyres orate pro nobis. Quid tibi videtur? putas ne hanc esse Augustini sententiam? Inspice locum, & ipse iudica. Beneficijs inquit, quæ dantur orantibus. Quid hoc verbi est? Orantes veniam, inquit Poeta, & templum clamore petebāt. Sed addit exemplum Augustinus, nō vano rumore acceptum, sed testibus certis cognitum, inquit, sanctum Felicem apparuisse

Confirmatur inuocatio ex Augustino.

isse Nolanis, cum illius auxilium scilicet in extremo periculo ciues implorarent. Quid sequitur autem mox in eodem capite? Quanquam ista quæstio, inquit, vires intelligentiæ meæ superat, quemadmodum opitulentur martyres ijs, quos per eos certum est adiuuari. Vtrum ipsi per seipsos adsint vno tempore tam diuersis in locis, & tanta inter se longinquitate discretis, siue vbi sunt eorum memoriæ, siue præter suas memorias vbicunque adesse sentiũtur? An ipsis in loco suis meritis congruo ab omni mortalium conuersatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis, quibus vtiq; non præsentamur, nec vbi sint, vel quid agant, scimus, deus omnipotens, qui est vbiq; præsens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis, exaudiens martyrũ preces per angelica ministeria vsquequaq; diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in huius vitæ miseria iudicat esse præbenda, & suorum merita martyrum vbi vult, quando vult, quomodo vult, maximeq; per eorum memorias, quoniã hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cuius illi confessione sunt passi, mirabili atq; ineffabili potestate ac bonitate commẽdet. Res hæc altior est, quam vt possit a me attingi, & abstrusior, quam vt a me valeat

perſcrutari: Et ideo quid horum duorum ſit, an vero fortaſſis vtrunque ſit, vt aliquando iſta fiant per ipſam præſentiam martyrum, aliquando per angelos ſuſcipientes perſonam martyrum, definire non audeo. mallem a ſcientibus iſta perquirere. Hic totus locus Buccere, etſi proprie quærit, quomodo martyres inuocati præſtent nobis auxilia ſua, per ſeipſos ne præſentes, an diuina voluntate diſpenſante per angelorum miniſteria, vel vtroque potius modo id fiat: tamen de auxilijs eorum nihil dubitat Auguſtinus, nihil de fructu inuocationis noſtræ, id quod verba ipſa clariſſime oſtendunt, cum dicit, Quos per eos adiuuari certum eſt, de inuocantibus ſcilicet loquens. Item, Orantibus pro indigentia ſupplicantium. Quæ ita aperta ſunt, vt obſcuritatem nullam relinquere poſſint. Quo etiam in loco illud exprimitur, quod ego paulo ante poſui in confirmatione mea, cur deus ſanctos ſuos inuocari velit, cur multa, quæ ipſe per ſe largiri poſſet, impetrari tamen illorum precibus gaudeat, nimirum vt ornentur merita eorum, & ad fidei ædificationem memoria ipſorum commendetur. Quę cum ita ſint, quid te mouet, quod tam apertis authoritatibus reluctaris? Niſi forte non ſatis idonei teſtes ſunt, quos citaui, non ſatis locuples ipſe Augusti-

gustinus, quem tu tanto studio citas contra me, vt etiam verbis eius falsas sententias affingere coneris. An vero mentior hac in re? Cur igitur citas ea, quæ magis euertunt tuam sententiam, quam meam oppugnant? cur scriptis eius abuteris contra ipsius voluntatem? Et negas quicquam assertionis ex patribus proferri posse, quo mea hac in re sententia confirmetur. Ita enim scribis in prima statim huius loci pagina. Hoc interim condonandum non est, quod sanctis patribus tribuis, ipsos sanctorum inuocationem asserere. & nominas inter eos, qui hoc faciant, diuum Hieronymum & Augustinum, ex quorum libris nihil quicquam huius assertionis docere poteris aut monstrare, sed neque ex aliorum libris. Asserere enim aliquid in ecclesia dei, est id vt dogma religionis nostræ proponere. Hæc sunt verba tua Buccere, in quibus video te in vna vocula ansam reprehendendi cepisse, quia scriptum a me sit, inuocationem asseri a patribus. Negas enim asseri quicquam, nisi quod vt dogma religionis proponatur. Vbi legisti obsecro hanc verbi proprietatem? Asserere pro affirmare, defendere, vendicare dicimus, id quod te Lexica etiam docere possunt. Pro eo quod est vt dogma proponere, neque legisse me apud probatos authores, neque

Bucce. pag. 45.

Asserere

que in vlla perpetua consuetudine obseruasse meminí. Sed ad rem. Nego me egisse de inuocatione, id quod supra etiam professus sum, sed de intercessione duntaxat, quam negari abs te arbitrabar, vt qui hodie etiam ex scripturis illam probari posse negas. Hanc autem asseri ac probari, non a patribus tantum, sed etiam ex scripturis ipsis, nemo nisi contẽtiosus inficiari potest. Nisi vero sine scripturis illã sancti patres tanto tempore tulerũt in ecclesia, atque in ea populum falli passi sunt. Origenes certe, vel quicunq; author est, in cantica Salomonis citat locum eundem ex libro Machabæorum de Hieremia orante pro populo, quem ego citaui in epistola mea, quanuis tu hic me nouum theologum appelles, nec veros theologos sequentem. Idem videre licet apud alios patres, qui non hanc tantum, sed alias etiam scripturas in eandem rem citant, quæ quia notæ tibi sunt, & iactatæ etiam in libellis vestris, breuitatis causa prætermitto. Verum tu nullam scripturam nisi rem digito monstrantem recipis. Cur igitur hanc ipsam intercessionem sine scriptura recipis? quemadmodum supra etiam abs te percunctatus sum. Ais enim & reprehendis, aliud probare me, nempe diuos orare pro nobis, quod nemo vestrum neget: aliud in quæstiõe esse, hoc est, an diui inuocandi sint, quod

Homil. 3. in ver. Ordinate in me charitatem.

ex nullis, necꝫ ſcripturis, neque patrum aſſertionibus probari poſſit. Fateris igitur diuorum interceſſionem, quanuis nulla certa ſcriptura probari poſſit. Falſa eſt ergo illa ſententia tua, qua negas quicquam ſine certa ſcriptura recipi oportere. At hoc nullo modo concedere potes, cum in eo conſtituas quaſi fundamentum totius doctrinæ tuæ. Fatendum eſt igitur tibi, interceſſionem ſine ſcripturis certis receptam non eſſe in eccleſia, aut temere eandem atqꝫ inconſtanter abs te recipi. Sed mitto interceſſionem. De inuocatiõe me lapidas, quod hãc dixerim aſſeri, ac proinde tanquam dogma a patribus proponi. Iam ſupra reſpondi tibi, hic nihil quæſtionis mihi tecum eſſe, qui nõ inuocationem, ſed interceſſionem defenderim, quod tu ipſe fateris, dum me quaſi dilapſum a ſtatu controuerſiæ eodem in loco reprehendiſti. Veruntamen hic etiam conſiſto, vt ſupra conſtitui, & inuocationem defendo contra te. Dico eam aſſeri a patribus, ſi non quemadmodum tu dogmata aſſeri definis, certe quemadmodum ſtatui affirmarique aliquid Latine dicimus. Statuunt enim & affirmant ſancti patres eandem ante mille, addo etiam ducentos annos fuiſſe in eccleſia, dum illam ſcriptis ſuis tradunt poſteritati, dum non improbãt, ſed commendant populo, dum exempla miracu-

laq; eiusdem proferunt, dum ipsi inuocant martyres confessoresque dei, quanque alijs commendant religiõem, suis ipsorum vocibus impressam relinquere minime dubitant. An vero hæc ita non sunt? Aude negare obsecro, quæ non dico prolata sunt hactenus, sed ex Basilio, Nazianzeno, Ambrosio, Augustino proferri, testificari, oculis subijci possunt. Nam de Hieronymo qui dubitat, iniuriam sanctissimo viro facit. Quãtum em̃ ille cum alijs in locis, tum vero contra Vigilantium tribuit martyribus? quanto spiritu memoriam dignitatemq; illorũ vindicat? dum illos asserit a mortuorum appellatiõe, quam vos contumeliose eis ingeritis, dum magna vi ꝓterit aduersarium, dum nõ solum orationũ prerogatiuam ad deum, sed busta etiam cineresq; eorꝝ in terris cõtra ꝓphanas obtrectationes defendit. Sed video te dissimulare hæc oĩa, atq; etiam clarissimis v̄bis Augustini conari nebulas offendere. Ita em̃ scribis Augustinũ ingenue fateri, se ignorare de martyribus, quõ nobis auxilia dei impetrent, an res nostras norint precesq; audiant, nec ne. Et addis, Quod vero tunc in ecclesia ignoratũ fuit, inquis, de eo quõ tu nos certos facies? Ego vero Buccere certum te nõ facio, sed hi faciũt, quos modo nominaui. Legisti ne eodem in loco, quẽ paulo ante ex Augustino citaui, hæc verba,

Bucce. pag. 45.

ba, quæ ibidẽ etiam a me notata sunt? Quos per eos adiuuari certum est, nempe supplicantes a martyribus. Quis igi͞t hic certũ te facit? ego, an Augustinus? Ait em͞ certum esse, supplicantes adiuuari a martyribus. Quo in loco, si nescis, duas res ponit, siue asserit (ne me huius vbi pœnitere putes) nempe inuocatiõem eorꝝ, qui rogant, & auxilium eorꝝ, qui rogan͞t, quæ ita clara manifestaq; sunt, vt nulla ratione cauillari, nullis verbis obscurari possint. Quõ igitur concludis ex Augustini verbis illud, quod minime ille sensit? imo vero quod vbis eius ac voluntati contrarium est? Quæris enim ex me, quomodo ego te inuocationis certũ facere possim, dum ille fateatur se ignorare, quomodo martyres auxilia nobis a deo impetrent. Quid? putabam te Dialecticum esse, dum toties paralogismos meos flagellas. Quomodo igitur non vides aliud concludere te, quam ex verbis Augustini proposueris? Ille enim fatetur se ignorare, quomodo, hoc est, qua via, per se, an per angelos, martyres percipiant orationes nostras, & quomodo, hoc est, eadem, an alia via, auxilia nobis impetrent. Itaque de via & modo impetratiõis loquitur. Tu autem de impetratiõe ipsa cõcludis, quasi ignoret auxilia impetrari a dño, q̃d lõgissime a priori distat, nec tu ignorare potes, aliud scilicet esse impetrari auxiliũ a

Aliud p positum ex Augustino, aliud cõclusum.

domino, aliud hoc vel illo modo impetrari, quorum alterum & sciri sine altero, & ignorari absque eodem potest. Sed displicet tibi sententia ista, vt video, neque alia de causa citasti hunc locũ cõtra me, nisi vt obscurares hanc authoritatem mihi, efficeresque vt non tam probari aliquid contra te, quam res incerta ab Augustino relinqui videretur. Itaque illud etiam occupare voluisti, quod maxime obstare tibi videbatur, nimirum exempla inuocationum, non Augustini modo, sed aliorum etiam patrum, quarum vim ac veritatem interpretatione rhetorici schematis eludere conaris. Ais enim patres in laudatorijs orationibus interdũ per prosopopœian prorũpere in appellationem siue inuocatiõem eorum, quos celebrant. Et addis, Verum vt in publicas preces ecclesiæ, inqs, hoc nunquam admiserunt. Cur hoc addis obsecro? In publicas preces inuocationem admissam nunquam fuisse. Primum non est de hoc mihi tecum controuersia, publica ne, an priuata inuocatio locum habuerit, vel habere debeat in ecclesia, sed de inuocatione tecum disputo, quam tu ais impiam & sacrilegam esse. ego vt piam & salubrem defendo. Tu negas illam a patribus probatam, vel vt tuo verbo vtar, assertam esse. ego ostendo literis illorum testatam, proditam, exemplis commendatam &

Bucce. pag. 45.

ad

ad posteros propagatam esse. Papisticam tu vocas ac nuper introductam in ecclesiam. ego ante mille annos in eadem fuisse demonstro, atque ita demonstro, vt quid hic mihi respondeas præter cauillos, certe nihil habere possis. Quid igitur mihi cum precibus publicis? Deinde falsum est hoc ipsum, quod ponis. Nam publicæ inuocationis preces, quas Litanias vocant, supra octingentos annos fuerunt in ecclesia, quod neque tu neque alius quisquam negare potest. alij autem asserunt multo esse vetustiores. Quomodo igitur negas inuocatiõem vnquam admissam fuisse in publicas preces? Nisi forte non has, sed sacrificij preces intelligis. de quibus supra responsum est tibi, neque attinet hoc in loco repetere. Intellexisti enim cur solius dei nomen in sacrificio, quod ei soli offertur, inuocandum sit, neque si hoc a me explanatum non fuisset, non poteras ipse, si voluisses, ex Augustino intelligere. Sed ad prosopopœias redeo. Quæro ex te, nunquid theologus rhetoricas etiã præceptiones aliquando legeris? Nam me hoc nomine interim exagitare soles, quasi hic nimium mihi indulgeam. Discrimen igitur obseruasti, opinor, inter hæc, quæ in eloquendo ornamenta orationis appellantur, nimirum quod quæ verborum sunt propria, cuiusmodi est auersa ad personam ora-

Preces publicę.

Prosopopœię ad diuos.

 tio,

tio, quam Græci προσωποποιΐαν vocant, nihil mutant de ſententia ac voluntate ſermonis, ſed tantummodo velut geſtum quendam ac motum orationi adferunt. Quod cum ita ſit, cur tu inuocationem eſſe negas, quæ fit auerſa ſublataque oratione ad martyrem? Niſi forte hæc inuocatio vera non eſt apud Poetam, dum ſuſpenſo curſu orationis quaſi ad numen conuertitur, Muſa mihi cauſas memora. Et Cicero in peroratione quadam, Nunc te Capitoline Iupiter inuoco atque imploro. Talis eſt certe illa Nazianzeni ad Baſilium, Hoc tibi o Magne Baſili extremum munus poſt annos octo, quibus eccleſiæ præfuiſti, obtuli. Hæc proſopopœia eſt. Deinde additur inuocatio, manente eadem figura, Tu obiter e cœlo nos reſpice, & datam mihi renum debilitatem & articulorum dolorem vel iube diſcedere, vel adiuua. Sic Auguſtinus in libro de ſpiritu & anima poſt gratulatam pijs fœlicitatem, ſuarum autem miſeriarum deplorationem, ita appellans illos inuocat. Vos igitur, inquit, qui meruiſtis conſortes fieri ſupernorum ciuium, & perfrui æternæ claritatis gloria, orate pro me ad dominum, vt educat me de iſto carcere, in quo teneor captiuus & ligatus. His inuocationibus vſi ſunt patres Buccere, non papiſtici, & tu dicere ſoles, ſed

Nazian. in fine Monodiæ in Baſiliū.

ſed veteres & orthodoxi, qui nullum papiſticum regnum, nullam tyrannidem (vt tuis vtar nominibus) ſtabilierunt in eccleſia, ſed exemplis eandem ſaluberrimis non minus quam ſcriptis grauiſſimis ante mille annos illuſtrauerunt. His, inquam, vſi ſunt pijs & orthodoxis precibus, non fictis ad adulationem, neque incerta intentione in ventum iactatis, ſed veris ac ſerijs, inque ſupernas beatorum ſedes ex deuotorum pectorum circunſpectiſſima religione profectis. Has tu impias vocare, pro idololatria obijcere audes? Ergo impius erat Theodoſius laudatiſſimus princeps, dum ad martyrum ſepulchra proſtratus fida illorum poſcebat auxilia. Impius Ambroſius, qui prouehebat pietatem religioſi Imperatoris, qui laudauit hoc nomine defunctum fratrem, qui Imperatoris ipſius funus his laudibus ornatum populo ad memoriam egregiæ pietatis commendauit. Auguſtinum vero quis non idololatram appellauerit, ſi vera ſunt tua conuitia? quis non omnes, qui ab illo vſque tempore in eccleſia vixerunt? Sed mitto cæteros, hos tam claros, tam pios, tam ſanctos viros tantæ impietatatis reos facere audes? qui ſi viuerent hodie, non ſuſtineres, crede mihi, authoritatem illorum,

aſpe-

aſpectum luminum clariſſimorum eccleſiæ ferre non poſſes. Spirat adhuc in libris eorum religio, quam tu condemnas, ſed quæ viciſſim tuam impietatem, tuam temeritatem atque audaciam in conſpectu omnium defigit, quam tu certe cum diſſimulare non poſſis, nullo alio conſilio occupaſti contra me, quam vt anteuerteres plagam tantæ authoritatis, viresque eius ac pondus, quantum poſſes, occurrendo debilitares. Habes, quod ad hunc locum mihi reſpondere viſum eſt, non ſolum de quæſtione inuocationis, ſed etiam de criminibus, quæ tu nimis vt confidenter, ita intemperanter obijcere ſoles. Etenim oſtendi tibi non ſolum doctrinam interceſſionis vna cum religione ante mille & ducentos annos fuiſſe in eccleſia, ſed etiam inuocationis vſum iam tum ignotum non fuiſſe, eundemq; & probatum a ſanctis patribus, & populo commendatum, ab illo vſq; tempore in eccleſia permanſiſſe.

DE COELIBA-
TV SACERDOTVM.

SEquitur tertium caput, de Cœlibatu ſacerdotū, qui locus cum probabiliter diſputatus ſit in epiſtola mea, nō puto repetenda eſſe ea, quæ illic dicta ſunt, ſed explananda potius, quæque abs te negantur, alijs etiam argumentis confirmanda. Tu multis hic paginis luctaris cōtra me, & oīa vndiq; colligens damnas legem cœlibatus et votum cōtinentię, quorꝝ vi atq; tyrannide coniugia adempta ſint cōtra naturam ſacerdotibus ac monachis, multaq; inde flagitia atq; dedecora in eccleſiā inuecta eſſe cōtendis. Ego Buccere, cū ſcriberem ad te, et ad hunc locū veniſſem, in animo habebā rem paucis attingere, ſicut in priori quæſtiōe feceram, nec prolixus eſſe eo in loco, quem non tam ad cauſam religionis, quam ad ſtatum vitamq; clericorꝝ pertinere arbitrabar. Sed cum ingreſſus eſſem, ita multa offerebant ſe, vt quanuis feſtinarem, non tamen tribuere aliquid quæſtioni tam notæ, ſtiloq; currenti non indulgere non poſſem. Sed hoc ipſum, vt video, diſplicuit tibi. Itaq; impotentius ſuc

censes mihi, atque in his potissimum locis, vbi te premi sentis, imperitum me harum quæstionum, ineptum, malum dialecticum, nouum theologum, rhetoricoteron etiam atque sophistam appellans. Atque vtinam falso hæc omnia, modo id benigne atque ciuiliter fieret. Sed mihi consultum fore arbitror, negligere, quantum possim, maledicta tua, & causam agere potius, quam conuitijs te cum certare, in quibus quid veri sit, quanta moderatio denique & grauitas tua appareat, ex his, quæ hactenus a me responsa sunt, quæq; suo loco prætermitti non poterunt, satis intellectũ iri cõfido. Nunc illud abs te peto, ne me in hac disputatione existimes patrocinari velle flagitijs aut turpitudini vllius gñis hominum, quibus ego non minus quam tu, aut quisquam alius, semper infensus fui: neue putes me vitia ecclesiasticorum magis q̃ instituta nomenq; ecclesiasticum velle defendere.

Propositio. Bucce. pag. 55. & 56.

Tota disputatio tua circa legem cœlibatus, donum continentiæ, votum castitatis, & locos nonnullos scripturæ versatur. Legem cœlibatus impossibilem, & tam naturæ quam voluntati diuinæ contrariam esse contendis. Donum continentiæ non omnibus, ac ne ijs qdem, qui id a deo petant, dari. Votum castitatis in his, qui continere nõ possint, deo ingratum esse. Scripturas ex Paulo a me

cita-

citatas, nõ pro me, ſed contra me, ac ꝓ tua etiã ſen tentia facere. Multa interim de periculo cœlibatus, de libidine & nequitia clericorum, de dignitate matrimonij diſputas, quæ omnia tamen, quãtum ad noſtram quæſtionem pertinet, in hoc vno con ſiſtunt, an præſtari poſſit continentia, quæ ex voto vel inſtituto eccleſiaſtico exigitur. Nam ſi præſtari non poteſt, videris recte ſententiam tuam defendere: ſin autem præſtari poſſe, non ſolum exemplis infinitis, ſed etiam authoritate diuina atq; humana probari poteſt, corruẽt vno impetu omnia, quæ tu tam multis in contrariam partem collegiſti. Si enim is, qui ſacris initiari ac legibus canonicis adſtringi voluit, aut qui ſponte ſua vouit caſtitatem, fretus dei auxilio ita viuere poteſt, vt præſtet id, quod promiſit eccleſiæ, aut quod per votum deo nuncupauit, quis non videt iam, neq; legem impoſſibilem, neq; votum impium contraq; voluntatem diuinam eſſe: id quod tu probare conaris: ſed cœlibatũ recte pieq; introductum eſſe, eundemq; ſine cauſa oppugnari abs te, foresq; ad nequitiam multis, quod res ipſa teſtatur, hac oppugnatione tua aperiri. Hoc igitur ſi probari poterit a me, præſtari poſſe continentiam ab ijs, quos tu non poſſe præſtare omnes, ac ne debere q dem contendis, victa erit cauſa tua, & mea ſuperi-

or: sin autē hocipsum probari non poterit, tum ego cedam tibi libenter, & me errasse fatebor, non mea quidem, sed eorum culpa, qui multis sanctimoniæ exemplis cœlibatum coluerunt tanto tempore in ecclesia, eundemq; alijs colendum pene orbis terrarum approbatione tradiderunt. In quo tamen illud a me dictum esse volo, cum loquor de lege cœlibatus, possit seruari, nec ne, &, an ordinationi dei contraria sit, non hoc etiam statuere me, vtrum expediat ecclesiæ, præsertim hoc tempore, quo ita refrixit prisca religio, vt a veterum pietate ac disciplina prorsus recessisse videatur. Maneat hoc igitur in controuersia, in quo erit status præcipuus orationis meæ, non, quid hodie statuendum sit, quidue expediat ecclesiæ hoc tempore, sed possit ne præstari illa, quam lex & votum requirunt, continentia.

Equidem scio difficile, nec cuiusuis hominis opus esse, id quod veritas ipsa testatur, cum dicit, Sed non omnes capiunt verbum hoc. Et mox, Sunt eunuchi natura, sunt qui fiunt opera hominum, sunt qui se castrauerūt propter regnum cœlorum. Cui rursus additur, Qui potest capere, capiat. quasi non omnes tantæ virtutis sint capaces. Non est igitur dubium, quin sit difficile, &, vt ita dicam, plane heroicum quiddam, vincere naturam,

ram, refrenare libidinem, & quodammodo in carne extra carnem viuere. Sed vt impossibile mihi fortasse, aut etiam tibi sit, quibus non negata quidem fuit hæc fœlicitas, si persequi eandem, quam molestiam fugere, maluissemus, tamen melius sentire de aliis, illorumq; conatus, non tam ex humana imbecillitate, quam ex diuino præsidio æstimare debemus. Multi præstiterunt castitatem in sacerdotio, multi ex voto continenter vixerunt, id q̊d negari non potest. Quomodo igitur vocas legem impossibilem, quæ seruari? aut cur votum impium, quod cum laudatum sit a domino, reddi potest? Sed video te hoc non simpliciter asserere, sed ex causa, vt si quis careat dono cōtinentię, eum continere non posse. quemadmodum dictum est in euangelio, impossibile esse, vt non veniant scandala. nimirum propter peruersam hominum voluntatem, qua existente non possint non fieri scandala. Itaque τὸ ἀδύνατον hic non simpliciter accipis, sed si quis donum dei non habeat, nec sit vocatus ad cœlibatum. Sit igitur hoc etiam in causa, quod te sentire video, legem non simpliciter esse impossibilem, sed ex hac causa, vt si quis donum cœleste non habeat, nec (vt tu sæpe loqueris) ad cœlibatum sit vocatus, hunc scilicet continere non posse, imo ne debere quidem, nec pugnandum huic contra natu

Lex impossibilis in his, qui donum non habent.

ram, ſed vxorem potius ducendam eſſe.

Hæc cum ita ſint, videamus qui ſint illi, & ſint ne omnes, qui ſe dedunt miniſterio eccleſiæ, aut qui ſponte ſua vouent caſtitatem, vocati ad cœlibatum, an non. Nam ſi vocati ſunt, certum eſt eos donum, ſi nondum habent, vel ſi perfecte non habent, & petant a domino, impetrare poſſe. alioqui fallax eſſet deus, qui vocationem ſuam ſecutos deſtitueret. Sin autem donum non habent, nec ſunt impetraturi, quanuis conſtanter petant, nec vocatos fuiſſe credendum eſt, alioqui fruſtra eſſent vocati, quibus neceſſaria præſidia defutura eſſent. Quiſquis igitur vocatus eſt, doni ſecurus eſſe debet, ita vt vel tunc accipiat, cum vocatur, vel certe a domino ſi petat, impetrare poſſit. Quomodo igitur probari poteſt, non ad coniugium, ſed ad cœlibatum vocatos eſſe eos, qui ſe dedunt ſacris ordinibus, vel etiam ſponte ſua caſtitatem vouent? Illud primum conſtituo, miniſterium eccleſiæ ſanctum & expetendum eſſe omnibus, qui ſe cum bona conſcientia ſentiunt idoneos eſſe, vt ſeruiant euangelio, vel etiam quos tales eccleſia ipſa iudicat. Quæ ſententia ita vera eſt Buccere, vt tu eam minime negare poſſis. Scriptum eſt enim, Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. &, Scienti bonum facere,

Qui vocati ſunt ad continentiam, donũ, ſi volunt, nõ habere non poſſunt.

&

& non facienti, peccatum est illi. Deinde illud addo, magnæ sanctitatis esse cœlibatum, & singularis præmij apud deum, vt testatur Esaias de eunuchis, & CHRISTVS in euangelio de eisdem, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. & Paulus in epistola ad Corinthios, vbi magno studio virginibus & viduis continentiam commendat. His adiungo tertium de authoritate ecclesiæ, quæ ipsa sibi de vita & moribus clericorum leges statuere & condere disciplinam, quatenus expedire videtur, potest ac debet. Exemplum extat apud Paulum ad Timotheũ, cui committit ordinationem ecclesiarũ, & qualem quenq; in disciplina esse conueniat, præcipit. His igitur constitutis, quæro ex te, an quisq̃ totis octingentis annis sacris ordinibus se dederit, qui non sciuerit ex decretis ecclesiasticis vitam cœlibem sibi agẽdam esse, eandemq; cõditionem vno cũ sacramento ministerij volens ac lubẽs susceperit? Quod si ita est, q̃d negari non potest, amplius quæro, cum sanctũ & expetẽdum sit sacerdotium, & cœlibatus a dño ipso nobis commẽdatus, quis cogitationem hanc primum miserit in animos eorũ, qui illos elegerũt ministros ecclesiæ? vel potius q se ipsos ad electionem, hoc est, ad vitã clericalẽ vel etiã monasticam, sponte sua obtulerunt? An vero ignoras id, quod

multis

multis annis didicisti ex sacris literis, nihil boni ne cogitari quidem posse a nobis, nedum expeti, sine instinctu cœlesti ac dei munere? Scriptum est enim, Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminū. Et non potest homo accipere quicquam, nisi ei datum fuerit de cœlo. Et Paulus, Non quia idonei simus, inquit, cogitare aliquid a nobis, tanquam a nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex deo est. Quæ loca scripturæ expresse docent, nullam esse in bonis rebus expetendis nostram voluntatem, sed ne moueri quidem nos proprijs viribus ad vllam salubrem cogitationem suscipiendam, cum sensus & cogitatio humani cordis, vt alio loco dicit scriptura, in malum prona sint ab adolescentia, sed donum dei præcurrētemq; gratiam esse testatur Augustinus, quæ mentem cogitationemque nostram ad ea, quæ recta piaq; sunt, vltro excitet atq; impellat. Donum igitur dei iam habebas Buccere, & ad cœlibatum iam tum vocatus eras, cum primum cogitatio illa mentem tuam subijt, vt te mancipares ecclesiastico ordini, vt seruires ecclesiæ Christi, vt is esses, qui doceret populum dei, qui oraret pro eodem in sacro ministerio, qui offerret sacrificium sanctum pro peccatis omnium, qui sacramenta salutaria ecclesiæ dispēsaret. Quomodo igitur

Vocatus ē ad cœlibatū, quisquis se dedit sacerdotio, aut cōtinentiam vouit.

tur negas eos, qui has partes elegerunt, vocatos esse a domino? neque ad hæc tantum ministeria, sed etiam ad hoc vitæ genus vocatos? quod debetur sacro ministerio, quod a prophetis, ab apostolis, a domino ipso commendatum est, quod ornat ac prouehit functionem ministerij, si Paulo credimus, quod tantis iam temporibus in ecclesia tam fœliciter in multis sanctissimis hominibus apparuit, vt ab ætate apostolorum vsque in hanc diem vita clericorum exemplis castimoniæ & sanctitatis infinitis floruerit. An illa te mouet effœminatorum querela? decepti sumus, imprudentes coniecti sumus in laqueum, continere non possumus. Imprudentiæ sane hanc causam esse puto, vt remedijs, quantum fieri potest, subleuanda sit, cui ciuilia etiam iura subueniunt. Sed quotusquisque est, qui hanc excusationem vere prætendere possit? Annali lege recipiuntur omnes, nec aliter fas est. quod si contra ventum fuerit, vitium disciplinæ non est, sed hominum, qui recte instituta dum non seruant, & ipsi peccant in ecclesiam dei, & alios præcipitant. Nequitiæ autem atque libidini quæ digna excusatio prætendi potest? Cum per ætatem scires, quid ageres, mancipasti te ministerio ecclesiæ, & continentiam deo dicasti, quod sine dubio absque instinctu spiritus sancti, & sine vocatione diuina fieri nō potuit.

fuit. Nunc ingruente tentatiōe diaboli mollior factus despondes animum, oblitus vocationis, nominis, atq; professionis tuę, desperas de domini misericordia ac bonitate, mutataq; sententia tanq̃ abiectis armis desertor & transfuga factus, quid aliud agis obsecro? quam q̃d tua ipsius culpa atq; ignauia teipsum perdis ac prodis? Hic nūc scio Buccere quid dicas, memini etiam qd scripseris in libro

Bucce. pag. 66.

tuo, optandum scilicet mihi ac mei similibus esse, vt nos in castitate coniugali cōtinuissemus. Quid hoc verbi est, in castitate cōiugali? quãuis em̃ apertum sit, tñ non satis intelligo. Non em̃ puto te tam impudentem esse, tametsi multa impotenter & inconsiderate scribis, vt me maritum vix toto triennio vllius dicti aut facti incōtinentis notare velis. Cur igitur hęc verba posuisti in libro tuo? An ita formare voluisti genus oratiōis tuæ? vt cum nihil haberes, quod sine calumnia in vitam meam obijceres, saltem defigeres suspitionem in animo lectoris, quasi parum continenter in matrimonio vixerim. Vide Buccere, quam minime hæc malitia deceat grauitatem tuam. Nondum triennium est, ex quo reuersus ex diuturna peregrinatione, quam studiorum causa susceperam, vxorem duxi Confluentiæ, eodemque in oppido consedi, quæ ciuitas ad Rhenum percelebris, notaq; omnibus,

bus, teſtis eſſe poteſt vitæ & exiſtimationis meæ, quomodo publice & priuatim vixerim eo in loco, quomodo hodie viuam, vt qui verum ſcire velit, minime neceſſe habeat ex libro aduerſarij mei diſcere, ſed ex municipij honeſtiſſimi iudicio de me ac teſtimonio cognoſcere poſſit. Sin autem hoc ænigmate tuo deſignas curſum iactationemque adoleſcentiæ meæ, quam primum Friburgi, deinde Treuiri, poſtea Coloniæ in Gymnaſijs egi, donec robuſtior factus euolaui Louanium, mox in Galliam atque Italiam, vbi amplius quam decem annos non in obſcuro, neque in ocio ignauiæ verſatus ſum, ſed in publico atque in oculis hominum, non ſine labore ac præmio, cuius me nondum pœnitet: ſi hæc, inquam, tempora vitæque meæ ſtudia atque labores perſtringis, non poſſum tibi nunc aliter reſpondere, neque alia nunc vti defenſione contra calumniam tuam, quam me omnibus in locis prædictis ita vixiſſe, vt non ſolum nomen exiſtimationemque meam apud omnes integram præſtiterim, ſed amorem etiam ac beneuolentiam apud bonos doctosque viros promeruerim, apud ſtudioſos autē deſideriū mei tantum, quãtum hic dicere pudet, reliquerim. Nihil agis igitur attentādo nomē exiſtimationemque meam, nihil illi etiam nebulones, aſelli putidi, eque

O ij coe-

cœno aliquo Lutheranico emersi, qui fictis nominibus versiculos maledicos ac barbaros in gratiam tuam, te ignorante tamen atque improbante, sicut mihi Spiræ confirmasti, libro tuo præfigere ausi fuerant, quibus ineptissimis insulsissimisque nugis conuitia in me huiusmodi sine omni pudore ac mentiendi verecundia iactare conabantur, vt etiam inimici mei, quique parum æqui propter hanc dissensionem nostram in me erant, impudentissima maledicta sordidissimorum tenebrionum ferre non possent. Itaque sublata fuit continuo macula illa de libro tuo, etiam cum officinæ dispendio, quæ si exijsset in lucem, nihil quidem læsisset existimationem meam, sed odium insulsissimæ obtrectationis in te potius vno defixisset. Sed quæro tamen abs te, cur verba illa ambigua ponere volueris in libro tuo? An vt disputationis huius de exigendo cœlibatu a ministris ecclesiæ verecundiam mihi inijceres? Primum nihil exigo a quoquam, sed respondeo tibi de his rebus, non sponte mea, sed abs te prouocatus. Cui vxor satis vna non est, per me licet tot habeat barbarorum more, quot alere potest. Nam video hoc etiam tentatum esse a quibusdam, vt polygamia defensa nouis scripturarum interpretationibus induceretur in Germaniam. O scelera, & seculi huius pestes. Quam cre-

scit

ſcit audacia, aliaq́ȝ procedit ex alia, vbi feneſtra licentiæ ſemel aperta eſt. Deinde cur me in hac cauſa impediat aliena nequitia? an quia alius parum probe ſibi conſuluit, ego quod ſentio hac in re, q̃d iudicauit antiquitas, quod legibus tanto tempore firmum ſanctumque fuit, profiteri non audebo? Cur te voto obſtrinxiſti, quiſquis hic mihi iraſceris? cur non potius duxiſti vxorem tunc, cum licebat, meo exemplo, quam cœlibatum, cuius te nũc ſero pœnitet, ꝓfitereris? Ego eodem loco eram, quo tu, poſtquam me tradidi matrimonio, fidemque vxori dedi, non licet amplius reſilire ab inſtituto. Tu fidem deo promiſſam violabis? & plus valebit apud te animi tui libido, quam voti religio, quam authoritas eccleſiæ, quam diuini numinis offenſio? Sed redeo, vnde digreſſus ſum. Nihil boni ac ſancti ne cogitari quidem poteſt a nobis, nedum expeti, ſine inſtinctu bonitatis diuinæ. Quiſquis igitur cogitauit vnquam, atq́ȝ in animo conſtituit, omni praua cupiditate ac mentis perturbatione remota, ſe poſſe cœlibem viuere, eandemq́ȝ cogitationem ac voluntatem pia rectaque cõſcientia ꝓſecutus, addixit ſe miniſterio eccleſiæ, deoq́ȝ cõtinentiam ſuam deuouit, hunc dico iam accepiſſe donum ſpiritus, vocatumq́ȝ eſſe a domino ad cœleſtia munera, nõ agnoſcenda modo, ſed

etiam persequenda. Non est igitur Buccere hæc iusta excusatio, donum continentiæ non habeo, vocatus nõ sum ad cœlibatum, sed ad coniugium. Iam tum vocatus eras, cum te ecclesiæ & deo sponte tua, hoc est, diuino instinctu inductus, mancipares. Hæc enim erat prima vocatio tua, hæc doni cœlestis inchoatio, in qua perseuerari, & cursum perfici oportuit, non sine opera atque labore tuo, sicut Paulus admonet. Rogamus fratres, inquit, ne in vacuum gratiam dei suscipiatis. Et, Videte vocationẽ vestram. Item, Vnusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Et dominus in euãgelio, Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Confert dominus nobis dona sua gratis, dispensatq; ea arbitrio suo, prout cuique ad salutem expedire ipse, q̃ optimus sapientissimusq; est, iudicat. Nostri autẽ officij est, agnoscere ea & amplecti, omniq; cura ꝓuidere, ne pereant, pugnare contra Satanam ac persequi, vt ad fructũ destinatum exitumq; suum perducant. Nequam vocatur seruus, & a dño atrociter increpatˀ, qui talentũ acceptum defoderat, quanuis nullo voto, nulla priuata obligatione obstrictus esset. Tu quantam increpatiõem, q̃ horribilem vocem dñi auditurꝫ putas eum, qui præmio amplissimo vocatus ad ordini ecclesiastici dignitatem, nõ solum professus est

Perseuerantia.

nomen sacrosancti ministerij, sed fide etiam interposita sese sciens volensque domino obligauit? In ciuilibus commertijs, quæ nuncupantur verbis, præstari oportet, ac ni fiat, datur persecutio ad extremam fortunarum depopulationem. Tu quæ deo promissa, dicata, consecrata sunt, remissius seruanda putas? Caue ne te fallat ista defensio, vocatus non sum, non vult me cœlibem esse dominus, sed maritum. Vides enim te vocatum esse, nec vocatum modo, sed etiam adstrictum, vt persequaris, munusque hoc agnoscas a domino, quod ipse certe augebit tibi, vocationemque suam confirmabit, si te minime ignauum socordemque esse viderit. Scriptum est enim de eo, cui iam donum contigit, Qui habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Tu supino tibi ac dubitanti cœleste auxilium occursurum putas? Orari vult dominus, & precibus pulsari a nobis, vt quæ alioqui dare studet, precario impetremus. Vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem, cum tamē ipse, ne tentarentur, efficere posset. Sed tanta est vis orationis, vt hoc malum discutiat, fuget diabolū, domini auxilium ad nos cōuertat. Quin ipse spūs dei prouehit orationes nostras, & gemitibus inenarrabilibus, vt Paulus inquit, postulat pro nobis, adiuuans infirmi- Oratio.

firmi-

firmitatem nostram. quo minus dubitemus de coelesti præsidio, pugnamque susceptam contra vim Satanæ, contraque incendia ac furias illius, remittamus. Fidelis est deus, qui non patitur nos tentari vltra id, quod possumus, sed facit etiam cum tentatione exitum, vt sustinere possimus. Etenim qui respicit in hoc certamine, q se vincere posse dubitat, iam victus est, indignus dei auxilio, de quo desperans proijcit arma victoriæ, culpaque sua inermem sese nudatumque prodit.

Quid igitur hic tu Buccere? parcendum naturæ? vim nullam carni adferendam, sed ne dominum quidem implorandum esse putas? ijs præsertim, qui professi sunt, quibus incumbit, aut vincendi necessitas, aut vt fidei sacramentũ, quo domino obstricti sunt, violent. Ita enim scribis in libro tuo, dominum rogandum non esse pro dono continentiæ ab ijs, qui quanuis professi, tamen ad coniugium potius quam ad coelibatum deputati sint. Deinde reprehendis locum epistolæ meæ de cruce tollenda post Christum, & de carnis mortificatione, quem citaram ad huius sententiæ confirmationem. Quæris enim ex me, vbi mens mea tum fuerit, cum illa scriberem? ecquid obliuisci potuerim eorum sacerdotum, quibus cum sim conuersatus hactenus, & quibus etiamnum familiaris sim?

Bucce. pag. 59. 60. & 61

ſim? quomodo potuerim iudicia piorum & cordatorum hominum tantopere cõtemnere. Et paulo poſt, Cur ſic agis inconſiderate, inquis, καὶ ἀδιαλεκτικῶς in re tam graui? Et mox, Quæ hoc loco præterea rhetoricaris, inquis, de cruce ferenda omnibus, qui volũt eſſe Chriſti diſcipuli, de carnis mortificatione, de vi facienda regno cœlorum, vide ꝗ̃ imperite & inepte id facias. Pertinent hæc omnia Latome ad quoslibet Chriſtianos, & quæ ſequuntur. Pag. 61 Deinde addis, Si tuam itaque ſequamur nouam theologiam, & tum deniqꝫ iſta præſtari dicamus, cum abſtinetur a coniugio, quem obſecro locum in regno dei relinquemus parẽtibus noſtris, & pijs omnibus maritis ac vxoribus? Agnoſcis verba tua cum alijs multis, quæ non ſolum abſurdam ſententiam tuam, ſed etiam indignam te tanto theologo cauillationem oſtendunt. quæ ſi ocium eſſet refellendi ſingula, ſicut meretur oratio tua & cauſa poſtulat, efficerem, ne quid iuſtæ reprehenſionis prætermiſſum eſſe videretur. Illud tamen de ſacerdotibus tibi reſpondeo, conſuetudinem illorum ac familiaritatem mihi nunquam pudendam fuiſſe, neque eſſe hodie. tu vide quam honeſte illũm ordinem reliqueris, & nunc etiam oppugnes. Quod ſi cum vitioſis corruptisqꝫ hominibus (pace bonorum dixerim) viuendum non

P eſt,

eſt, vide quo migrandum ſit, aut quibus cum habitandum hoc tempore, quo & charitas refrixit vere euangelica, & licentia iampridem atque audacia omnia fere in Germania occupauit. Imperitia mea atque ineptia, ſi qua eſt in hac cauſa, proderit tibi in defenſione tua.

Illud ſatis mirari non poſſum, cur mortificationem, crucem, vim carnis atq; libidinis coercendæ, cum ad omnes Chriſtianos pertinere fatearis, me, quod eadem in monachis continentiamq; profeſſis exegerim, nõ reprehendendum modo, ſed etiam obiurgãdum putaris? An vero monachi, & q cõtinentiæ voto tenẽtur, Chriſtiani nõ ſunt? Laici, qui nihil vouerũt deo, qui ſe nullo ſacramento obſtrinxerunt, ferre crucem ſuam poſt Ieſum, vim facere libidini, carnem mortificare, atque hac via tendere ad dominum, cœlumque vi rapere iubentur. Tu eos, qui ex profeſſo ad hæc ipſa arctius adſtricti ſunt, qui cæteris ſanctimoniæ exemplis prælucere debent, quos, ni faciant, grauior dei vindicta, grauioraque ſupplicia manent, hos, inquam, tu alienos ab hac ſeueritate, immunes a cruce dñi, a carnis mortificatione ſecuros facis? Cur igitur reprehẽdis commemoratiõem harum rerum a me factam? An quod ab omnibus præſtãdum eſt, ab vno ordine exigere, aut acrius etiam exigere, nefas eſt?

Crux oĩbus, ſed ꝑcipue cõtinentiã profeſſis ferenda.

est? Plus huius quam illius interest, & alia mea, alia tua causa est. Cur tu parem omium cōditionem facis? An nō licet ab eo, qui plus debet, plus exigere? Scimus omibus preceptum esse, vt iustitiam & veritatem colāt, vt misericordes sint, vt fidem inuicem seruēt. Scriptum est em̄, Estote misericordes, sicut et pater vester misericors est. & loquimini veritatem vnusquisq; cum proximo suo. Num idcirco inepte fecit dn̄s, quod hæc eadē neglecta a pharisæis grauiori comminatiōe prosecutus est? Væ vobis, inquit, scribæ & pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentam, & anethum, & cuminū, & quæ grauiora sunt legis, iudiciū, misericordiā & fidem reliquistis. Etem̄ cæteris, vt iusti & misericordes sint, vt fidem & veritatem colāt, simpliciter præcipitur, ijs quibus incumbūt hęc eadem ex singulari officio, qui ad has partes præ cæteris vocati sunt, qui legibus sese ac sacramēto ad hæc ipsa obstrinxerunt, imperatur seuerius, minus ignoscit̄. Neq; idcirco tollitur necessitas communis officij, sed q̄d neglectum punitur in oībus, in vno ordine seuerius vindicatur. Cur tu igitur hic reprehēdisti me? An qa omes carnem suā cum vitijs & cōcupiscentijs crucifigere debēt, monachi & sacerdotes, qbus id maxime necessarium est, non debent? Agnoscis enim verba Pauli, qui crucifixus mundo & ipsi

Carnis mortificatio.

mundus iubet nos opa carnis crucifigere, si Christi esse, & Christiani dici velimus. Omnes eodem modo sentiunt patres, eisdemq; pene verbis vtuntur in vlciscēda libidine, & in castitatis studio commendando. Vim, pugnā, crucem, mortē, nominãt, nec nominant tm̄, sed etiam exercent ipsi cõtra Satanam, hisq; armis luctantur cum diabolo, & vincunt spiritualia nequitiæ, & carnis cupiditates necant. Castigo corpus meum, inquit Paulus, & in seruitutem redigo. Quibus autem rebus castiget, alibi exprimit, cum de laboribus & persecutionibus suis loquitur. Vsq; in hanc horam, inquit, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cędimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris. Itē alibi, Quis separabit nos a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Et sequitur, Sed in his omnibus, inquit, superamus propter eum, qui dilexit nos. Vides Pauli exemplo vim carni atq; libidini faciendam esse, ne insurgat aduersus spiritum, & dona dei in nobis extinguat: mortificandas esse cupiditates, crucifigendos nos ipsos cum vitijs, & hostias sanctas viuentes deoq; placentes offerendos esse. Quæ cum

omni-

omnibus præcepta sint, tum vero maxime requirenda ab illis, qui corpora sua consecrarunt domino, qui professi continentiam perpetuam, voto castitatis sese obstrinxerunt. Sed negas hæc præstari posse ab omnibus. Scio, neq; ego exigo ab omnibus, sed ab ijs duntaxat, qui, vt dixi, cœlibatum vouerunt domino, & qui ius nubendi sibi sponte ademerunt. Hos enim vocatos esse, & habere, si nondum plenum, saltem inchoatum donum continentiæ, satis est demonstratum. Verum instandum esse dixi, dominumq; orandum, vt perseuerantiam quoq; tribuat, augeatq; dona sua in nobis, & ad exitum certum perducat. in quo quidem pugnam nullam remittendam esse, sed resistẽdum acriter, dominoq; fidendum. Hæc si fiant, dixi, dominum minime defuturum esse, nec vocationem suam deserturum, modo vigilemus & ipsi, instanterq; oremus. Veracem enim ac fidelem esse deum, & misericordem erga omnes, qui passurus non sit eos, qui se sibi deuouerint, tentari vltra vires, sed moderaturum tentatiõem vsq; ad exitum, effecturumq; vt sustinere possimus. Hæc cum supra ostenderim Buccere, & scripturis confirmauerim, non video quid responderi possit, quo minus ij, qui susceperunt vitam cœlibem, deoq; castitatem promiserunt, possint præstare eandem, ob-

nixi contra vim Satanæ, deique auxilio, cuius certi non esse non possunt, magis quam proprijs viribus freti, carnem suam vincant.

Sed tu negas, vt video, dei auxilium implorandum esse, ijs præsertim, qui ad cœlibatum vocati non sint, sed ad coniugium deputati. A is enim tales non exaudiri a domino, quoniam contra voluntatem & ordinationem eius petant. Primum quæro ex te, vnde scias, vel potius quomodo probes mihi, eum vocatum non esse, qui sciens volensque susceperit cœlibatum, qui cum liber esset, posset que subire iugum matrimonij, vel cœlebs viuere, elegerit alterum istorum, malueritque adstringi voto continentiæ perpetuæ, quam vxori alligari, hunc, inquam, ex te quæro, qui scias a domino vocatum non esse, cum nihil ne cogitare quidem possimus boni nisi ex instinctu spiritus diuini, quemadmodum supra probatum est, neque abs te negari potest. Nisi vero hæc gratia, donum dei non est, atque adeo vocatio ista, de qua loquimur, a deo non proficiscitur, cum quis scilicet pie & recte sibi conscius, sponte sua eligit genus vitæ sanctum & honorabile, acceptum deo, gratum hominibus, ecclesiæ si non necessarium, vt tu vis, certe longe aptissimum, hoc, inquam, qui facit pia rectaque mente inductus, qui se dicat

Bucce. pag. 59. & 60.

deo,

deo, & tanquam hostiam carnem suam deuouet, hunc non agi spiritu cœlesti? non vocari ad decus continentiæ? non voto suscipiendæ, robore persequendæ eiusdem donari iudicabimus? Nisi forte ad inchoationem vocat nos dominus, & postea in medio cursu destituit. Quæ igitur veritas, quæ constantia esset diuini beneficij? si quem vocasset ad præmia continentiæ, mox quasi mutata sententia ad matrimonium reuocaret? si copiam præsidij sui, quæ nulli vnquam nisi non vere petenti negata fuit, deuotis consecratisque suis subtraheret?

Deinde illud vide, quam considerate scribas, orandum non esse ijs pro continentia, qui coniugio deputati sint, quasi continentiæ in ipso etiam matrimonio non sit locus, aut quasi non multo dignior deoque gratior sit infœcunda virginitas, vel etiam castitas coniugalis, quam fœcunda multarumque prolium creatrix copula. Cur enim ipse dominus laudauit eunuchos, qui se castrarunt propter regnũ cœlorum? Cur idẽ propheta Esaias ex ore dei multo ante prædixerat? Et nõ dicat eunuchus, inquit, ecce lignum aridum, quia hæc dicit dñs eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo Pag. 59. vers. lã ad tertium, & seq. pa.

eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius a filijs & filiabus, quod non peribit. Vides hic sanctificationem sabbati in refrenanda libidine, & in concupiscẽtijs carnalibus amputandis. Vides aridi ligni infœcunditatem, quam solatur dominus, sed quantis pro missis? quantæ fœlicitatis compensatione? Dabo eis, inquit, locum in domo mea: Ne se propter sterilitatem (vt inquit Basilius) abiectos fore metuant. Et nomen melius a filijs & filiabus: Ne se putent obscuros fore, memoriamq; eorum extinctum iri, si nullam de se posteritatem reliquerint. Nomen melius igit̃, quam ex longa posteritate. &, Nomen sempiternum, inquit, dabo eis, quod non peribit. Quanta est hæc compensatio? ęternitatis pro temporario? immortalitatis pro caduco? Quis hic negare potest, infœcundam continentiam præferri liberorum procreationi? cœlibatum deo quam coniugium gratiorem esse? Omitto Paulum, qui a me in eandem sententiam citatus sole ipso clarius ostendit, se malle suo exemplo non ministros modo ecclesiæ, sed omnes etiam, si fieri possit, cœlibes quam coniuges esse. Quinetiam ipsos coniuges monet, vt interdum abstineant ab vsu thori & orationi vacẽt. Nolite fraudare inuicem, inquit, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Sed addit, Et

Basilius de virginibus.

iterum

iterum reuertimini ad idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram. Solius igitur incontinentiæ causa monet, ne se fraudent inuicem, sed vt ad pristinam cõsuetudinem reuertantur, sicut & alibi suadet incontinentibus, vt nubãt, propter eandem scilicet causam. Melius est enim, inquit, nubere quam vri. Itaq; suadet vtrisq; coniugalem consuetudinem. Quid ita? Ne hi scilicet in fornicationem, illi in adulterium prolabantur. Non igitur nisi flagitij vitandi causa suadet matrimonium ijs, qui molles sunt, & continere non possunt: cœlibatum autem commendat omnibus suo exemplo, hortaturq; ad continentiam nõ cœlibes modo, sed etiam coniuges, vultq; eos, qui habent vxores, ita viuere tanquam nõ habentes, nimirum in studio continentiæ, & in carnis operibus amputandis, id quod hoc in loco, & in epistola ad Timotheum ita euidenter patet, vt nulla cauillatione obscurari possit. Quæ cum ita sint, miror cur nolis deum ab ijs, qui ad coniugium vocati sunt, atq; adeo a coniugibus ipsis, pro dono continentiæ rogãdum esse. cur tam maligne sentias de cœlibatu. Certe exempla multa coniugalis cõtinentiæ proferri possunt, deo gratissima, quæ si ignorabas, nõ ex Hieronymi tantum & Augustini scriptis, sed ex ipsis etiam sacris libris cognoscere poteras.

Q Neq;

Bucer. pag. Neq; hic mouet me apertissima calumnia tua, qua scribis nos de matrimonio, quasi habeat aliquid impuri, & quasi indignum sit sacro ministerio, statuere, qui eodem in loco eousq; etiam progrederis, vt dicas fatendum esse, plerosque ex pa-

Pag. 97. tribus plus æquo laudasse cœlibatum, & sanctitati coniugij non plene tribuisse illud, quod ei tribuat doctrina dei: itaque eosdem dum alieni esse velint ab hæreticorū blasphemia, qui aliquid impuri inesse coniugio docuerint, nimis ꝓpe ad idipsum, quod in illis damnauerint, accessisse. In quo equidem miror, audaciam ne dicam, an imprudētiam tuam, qui cum legeris patrum scripta, Pauli etiam sententias crebro vsurpes, cumq; ignorare nō possis hæc multo aliter se habere, quam tu pronuncias, non venisse in mentem tibi, posse in his te manifestę vanitatis argui, posse tam grauiter in sanctos viros dicta non verbis tantum, sed etiam re ipsa a quouis etiam semidocto facillime apertissimeq; refelli. Nam quod ad eos pertinet, qui hāc causam hodie tuentur contra te, non puto per te probari posse, quenq; eorum obtrectasse vitę coniugali vllo vnquam verbo, aut aliter quam par est, de dignitate eiusdem statuisse. Legantur scripta oīm & ꝓferatur in medium, si quid vsquam tale repertum fuerit. Illud dissimulandum non fuit, neque hodie

dis-

dissimulandum est, quod tamen a vobis neque attingitur in libris vestris, neque in concionibus, vt par erat, populo commendatur, priorem locum virginitatis ac cœlibatus esse, posteriorem coniugij, id quod ita testantur sacræ literæ, vt præmia etiam in eisdem virginitati singularia nuncupentur. Legatur enim locus Esaiæ de eunuchis, qui paulo ante a me citatus est. Legantur euangelia de eisdem eunuchis, de lumbis præcinctis, de ijs, qui non nubunt neque nubuntur. Legantur Pauli epistolæ, præsertim illa, quæ ad Timotheum scripta est, vbi agitur de virginibus & viduis. Legatur Apocalypsis de ijs, qui cantantes canticum nouum, quod nemo discere potest, sequuntur agnum, quocunque vadit. Quid hic patrum testimonia commemorem? Cypriani, Basilij, Chrysostomi, Origenis, Ambrosij, Hieronymi, Augustini? quæ virginitatis encomia? quæ commendationes cœlibatus? quæ & quantæ exhortationes ad continentiam, non in cœlibatu tãtum, sed etiam in coniugio præstandam? Itaque non possum satis mirari, vt dixi, quomodo illud in libro tuo ponere ausus sis, patres immodice laudasse virginitatem, proxime etiã ad hæreticorum dogma de nuptijs accessisse. Etenim motus hac oratiõe tua diligẽter inquisiui, nusquam inueni, quod scribis. Omnes ita

Cœlibatus melior coniugio.

Pag. 97.

Patres defendũtur a Bucceri calũnia.

laudant virginitatem, ita cœlibatum commendãt, vt interim faueant matrimonio, commoda eius & incommoda, sed & sanctitatem eiusdem, minime dissimulent. laudent in ijs, qui infirmitatis suæ conscij, neq; vlla impediti religione, nubere quam vri, homini quam deo fidem ꝓmittere maluerunt: qui deprehensi in hoc vinculo castitatem nihilo minus colunt, carnem suam mortificant, & quam non possunt integram, saltem qualemcunque deo continentiam præstare student. Hæc si a me fingi putas, lege Augustinum, vt cæteros omittam, qui cum alijs in locis multis, tũ vero præcipue in libro de bono coniugali, multa disputat de institutione coniugij, de procreatione sobolis, de fide coniugum inter se, de sacramento vnitatis, de continentia etiam in matrimonio seruanda. quã non vnius Augustini, sed omnium patrum sententiam esse nemo ignorat, nisi qui scripta illorum nõ legit, nemo negare potest, nisi qui veritatis inimicus premere atq; obscurare laudes virginitatis, inuidiamq; laudatoribus eius facere conatur. Omnes pie ac religiose sentiunt de coniugio, omnes laudes eius ita temperant vt præferentes castitatem liberorum desiderio, dum vtrunq; suo loco commẽdant, vtriusq; dignitatem nõ genere comparandorum, sed graduum interuallo distinguãt.

Lau-

Laudant igitur, non vituperant cõiugium, nec malignius de illo, quam de cœlibatu præclarius sentiunt, sed vt omni præconio extollunt vitam vere cœlibem, ita coniugalem societatem, quæ sine vitio contracta est, quæ non aduersatur moribus ac legibus ecclesiæ, omni honore & commendatione prosequuntur. Quæ autem contra mores ecclesiæ, contraq; fidem deo promissam coijt, hanc non societatem connubij, sed præuaricationem, neq; tales coniuges, sed adulteros incæstos appellant. Nihil fingo, lege Cyprianum, quem tu contra me in hac ipsa quæstione citasti, & lege in eadem epistola, videbis quid de virginibus deo dicatis sentiat, quid statuat de eisdem, si fidem sponso fallãt, quanta grauitate offensionem publicam, quanta seueritate obstinationem in delicto prosequatur. Lege Ambrosium de lapsis virginibus, videbis quanto feratur dolore, quanta acerbitate illam in ecclesia palam increpet, quæ cum domino sacrata esset, corrumpi se passa fuerat, adulteram Christi, corruptionem Satanæ, tugurium diaboli, lutum platearum, latentem in tenebris stellionem appellans. Nescio, inquit, an possit ei digna mors & pœna cogitari. Deinde occurrit, Dicit aliquis, Melius est ergo nubere quam vri. Et respondet, Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum ve-

Incestæ dicatarũ nuptiæ.

Cypria. epist. 11.

latam. Cæterum quæ se spopondit CHRISTO, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro, & iam si voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.

Sed de Cypriano respondes mihi idipsum, quod citasti contra me in libro tuo, iussisse illum vt dicatæ deo virgines nubant, non obstante voto quod fecissent. In quo vellem, primum, vt sententiam totius epistolæ inspexisses propius, atque etiam ponderasses, priusquam hoc dictum excerptum de toto corpore, velut ramulum vnum auulsum ex arbore non frondosa magis quam fructuosa, velando sententiæ tuæ vitio accommodasses. Deinde illud abs te peto, vt idem iuris mihi concedas in Cypriano, quod tute in omnibus patribus tibi vsurpas, nimirum vt si quid ille sine expresso scripturæ testimonio solus, vel cum paucis sentit, id ne fraudi mihi sit, si pro catholico non recipiam: sed liceat, sicut tu arbitratu tuo, & vbicunque libitum est, discedis ab omnibus, ita pari iure mihi non ab omnibus, sed ab vno cum omnibus discedere. Atque hoc iure vti si velim Buccere, possim certe sine reprehensione, iure optimo, inquam, atque æquissimo, quod tute nullo iure in hac causa, sed summa iniquitate atque licentia

Auertitur obiecta Cypriani authoritas, & sententia eiusdem mox exponitur

centia tibi vsurpare soles. Sed nō vtar, relinquam hanc integram authoritatem non tam tibi, quam mihi ipsi, causa ipsa scilicet ac veritate fretus. Videamus quid tādem, & quibus verbis iubeat Cyprianus hoc, quod tu vis, nempe, virgines deo dicatas nubere? Quod si se ex fide, inquit, Christo dicauerunt, pudice & caste sine vlla fabula perseuerēt, ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectēt. Iubet vt quæ vouerunt castitatem domino, fidem promissam constanter seruent. Deinde addit, Si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant, quam in ignem delicijs suis cadant. Hoc Buccere non iubet Cyprianus, sicut tu scribis; sed permittit duntaxat, quæ duo multum, vt docet author minime malus, inter se differunt. Nam aliud præcipere est, inquit, aliud permittere. Quod enim præcipimus, semper placet, quod autem permittimus, nolentes præcipimus, quia malam voluntatem ad plenum prohibere non possumus. Quid igitur permittit Cyprianus? vt quæ in fide promissa perseuerare nolunt vel non possunt, nubant. Quid inquis? num inhonestam rem permittit? Minime vero, neque enim nuptias hic quisquam vituperat, aut non etiam sanctas esse confitetur. Sed illud considerandum est, quæ in permittendo mens & voluntas

Cypriani locus de virginibus deo dicatis, in epist. 11.

viri

viri sanctissimi fuerit. Non enim credibile est illum permisisse nuptias deo dicatis virginibus eadem libertate, qua alijs, quæ dicatæ nõ erant, cum plurimum inter liberam & deo dicatam sicut hodie, ita tunc quoque interesset. An vero tu talem tantumque episcopum, tam peritum scripturarum, tam diligentem, tam religiosum, tam sanctum pudicitiæ custodem, castitatis amatorem nullum discrimen inter sanctimonialem virginem, quæ deo cõsecrata est, & eam quæ nulla religione tenetur, fecisse existimas? Cui te persuasurum hoc speras? aut quem pium sanumque hominem æquo animo auditurum? sanctam & deo dicatam virginem eodem loco haberi a Cypriano, quo liberam & secularem, pari iure vtranque, pari nuptiarum commertio censeri. Quin illud potius cõfiteris, quod certe, si rem propius spectes, negare non poteris, Cyprianum non simpliciter, neque sine graui improbatiõe dicatis nuptias permisisse, sed ita si propter mollitiem continere non possent (vt vulgo loquimur) aut fidem mutato animo seruare nollent, tunc enim satius esse duxit, vt cõtra fidem promissam nuberent honestius, quam eadem fide nihilo minus violata, extra nuptias deliciando, grauius delinquerent. Permittit igitur talibus vt nubant, nõ aliter quam Moses Iudæis permiserat libellum

bellum repudij, ob duritiam cordis eorũ, hoc eſt, propter peruerſam eorum obſtinatamq; volunta tem, ne ſcilicet peiora committerent. Melius enim erat, permittente lege matrimonia ſolui, quam o-dio compellente homicidia fieri. Itaq; permiſit il-lis mala facere, ne peiora facerent. Sic Cyprianus permiſit ſacris virginibus nubere, nõ vt bene, ſed ne peius facerent. Melius eſt enim, inquit, vt nu-bant, hoc eſt, tolerabilius & leuius ad offenſionem dei, pœnamq; æterni ſupplicij luendam, vt ſi mol-les ſunt, vel animum continendi obſtinate muta-runt, vinculo nuptiali cum vno coniunctæ ſint, quam vt delicijs ſuis, hoc eſt, incæſto nefarioque cõcubitu ſcandalum eccleſiæ facientes altius in ig-nem ſe mergant. Itaq; addit ſtatim, Certe nullum fratribus aut ſororibus ſcandalum faciãt, cum ſcri ptum ſit, Si cibus ſcandalizat fratrem, non mandu cabo carnem in ſeculum. Et in tractatu de ſingula ritate clericorum, Væ, inquit, huic mundo a ſcan-dalis, veruntamen væ homini illi, per quem ſcan-dalum venit. & addit, Si has domini comminatio-nes religioſo corde metuimus & veremur, plus de alijs quam de nobis extimeſcamus periculum no-ſtrum, qui mutuis, teſtante Paulo apoſtolo, vtilita tibus obligamur. Quibus verbis monet, quantum a ſcandalo cauendum ſit, quanto ſtudio mutuis ad

ſalutem rationibus ſeruire debeamus, Paulum ci-tans, qui teſtetur nos ad hæc officia inuicem obli-gatos eſſe. Quis igitur dubitat, quin hanc ipſam rationem exegerit ab omnibus? ſed maxime a cle-ricis & ſacris virginibus, id quod res ipſa demon-ſtrat? vt ſi qua lapſa pœnitere, & ad priſtinum in-ſtitutum redire nollet, nuberet potius, quam pa-lam ſcortãdo deformaret ordinem ſacrarum vir-ginum, cæteriſq; ad ruinam offendiculum pone-ret. Tanti enim faciebat ſacratam deo virginitatẽ, vt lapſis & incontinentibus nuptias potius illici-tas concederet, quam integritatem earum, quæ la bi poterant, turpium exemplorum cõtagione pe-riclitari pateretur. Num quis igitur negare po-teſt? quin eas, quibus ſic permiſit nubere, non ſo-lum non abſoluerit a crimine, ſed etiam cum hoc ipſo cæteris ne idem permitti neceſſe eſſet, con-ſulere voluerit, perfidiam illarum atque obſtina-tionem grauiſſimo iudicio condemnarit? Sed ta-men nuptias, inquis, permiſit illis, quas certe lex pontificia non ſolum interdicit voto obſtrictis, ſed etiam contractas reſcindit. De contractis, re-ſcindendæ ſint nec ne, nulla mihi tecum quæſtio eſt, ſed de lege cœlibatus, poſſit ea præſtari, an non poſſit, id quod ſupra profeſſus ſum. ex quo perſpi cietur, recte ne, an ſecus cœlibatus in eccleſiam in-tro-

troductus sit. Nam quid expediat hoc tempore, alia quæstio est, quam sapientioribus disputandam, nec vni populo, sed vniuersæ ecclesiæ determinandam relinquo. De Cypriano fateor, illum permisisse coniugia voto obstrictis, sed nõ vt fas extraq; crimẽ esset, verum vt dixi, ne scandalo coniuncto cum perfidia, delicta cumularẽtur, id quod eodem in loco ex ỽbis ipsius clarissime patet. Verum esto, putarit fas esse, nec permiserit tm̃, sed etiam iusserit, vt tu falso scribis, num idcirco ecclesiæ nihil licuit? catholicumq; habebitur, non quod omnibus, vel certe maiori parti, sed quod vni cum paucis visum fuit? Non opinor Buccere, neque tu ipse authoritates ita recipis. Certe Ambrosius, Hieronymus, Augustinus defendunt voti religiõem contra libidinem, eamq; deo ita gratam esse iudicant, vt si qua nupserit contra promissi fidem, eam non tam hominis sponsam, quam Christi adulteram esse statuãt. His si Cyprianum vnũ cum pauculis, quos indicat titulus epistolæ, opposueris, neq; his tantum, sed toti ecclesiæ, quæ quod permisit ille, seuerissime vetuit, imo pro incęsta copula ac sacrilegio putauit, quid profecturum te credis? plusne valebit vnius aut trium, q̃ oĩm, vel certe plurimorum? plus epistolæ a paucis ad vnũ scriptę, q̃ tot millium cõsensus in orbe terrarum atq; authoritas?

Quanquam nego, vt dixi, sensisse hoc Cypriani, nego iussisse nubere professas, sed permisisse tantummodo propter obstinatam voluntatem, nego a crimine absoluisse nuptas, sed damnasse perfidiam, offendiculum remouisse. Cur enim vota seruanda esse alio in loco ipse censuit? nec censuit modo, sed scripturis etiã cõfirmauit? Ita em̃ scribit ad Quirinum, Quod quis deo vouerit, inqt, cito reddendum est, vt apud Salomonem, Prout voueris votum domino, ne moram feceris reddere illud. Et in Deuteronomio, Si autem voueris votum domino deo tuo, non tardabis reddere illud, quia inquirens quæret illud deus tuus a te, & erit in peccatum: ea quæ egredientur per labia tua, obseruabis, & facies donum, quod locutus es ex ore tuo. Item in Psalmo XLIX. Inuoca me in die pressuræ, & eximam te, & clarificabis me. Item in Actis apostolorũ, Cur impleuit Satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto, cum esset fundus in tua potestate? nõ hominibus mentitus es, sed deo. Et apud Hieremiam inquit, Maledictus qui facit opera domini negligenter. Harum tu scripturarum Cyprianum oblitum fuisse putas, cum epistolam illã de virginibus scriberet? aut si in mente habuit, id q̃d certe negari non potest, ad votum tamen continentiæ pertinere non est arbitratus? Hoc em̃ video te dictu-

Ad Quirinum libro 3. cap. 30.

Votum cõtinentiæ.

dicturum esse, & contra has scripturas hunc elusionis angulum quaesiturum, id quod metuens fecisti etiam, & quod futurum esse videbas, anteuertisti. Itaque negas omnia, quae quis vouerit, praestanda esse. Quid enim, inquis, si quis necem parentum, aut immolationem liberorum vouerit? Quasi vero hoc a me scriptum sit, omnia quae quis vouerit, praestanda esse. Equidem ita sentio, non vouenda potius, quam non praestanda esse omnia, quae recte & pie praestare possis. Quod si ea vouisti, quae praestare non possis, aut sine crimine non possis, nulla culpa nisi tua est, qui stulte vouisti. At voti fidem nihilo minus a te regret dominus, qui si rectum piumque est, quod vouisti, gratum habebit, dum reddes. Sin autem stulte vouisti, sicut Iepte, qui voti sui causa postea in luctu fuit, teneris nihilo minus, sed iam voti solutionem dominus gratam habere non potest. Etenim culpa tua factum est, vt quod praestandum erat, sine peccato praestari non possit. Nō igitur vouisse, quod non licet, melius est, quam quod licet, si voueris, non praestare. Verum quid haec ad coelibatum? Primum enim honesta, imo etiam deo gratissima est virginitas. Continentiam vero etiam in coniugio patriarchae sanctissimique homines multi praestiterunt. Deinde posse praestari haec ipsa a vouentibus,

 bus,

bus, si velint, opinor satis demonstratum esse, non proprijs quidem viribus, sed dono cœlesti, quod inchoatum iam contigit omnibus, qui pio animo vouerunt. Augetur autem perseuerantia, quam is quoque tribuit, qui vouere nos iubet. Vouete enim, inquit, & reddite domino deo vestro. Qui certe verax in promissis, in auxilio fidelis est, nec quenquam sequentem iussa sua destituit.

Hæc cum ita sint, cumque tu scripseris, ea duntaxat vouenda esse, quæ in nostra manu sint posita, cur cœlibatum existimas in nostra potestate non esse? An hoc satis probasse te in libro tuo cõfidis? Quid enim scripsisti? Non omnes vocati sunt ad continentiam, ergo non omnes cõtinere possunt. Bella argumẽtatio, qua rẽ tãtam nobis obtrudere conaris. Multis in locis exagitas paralogismos meos, quasi acutum artificiosumque sit, vbi de re nõ conuenit, verissimam quanque argumentationem hoc nomine cauillari. Infinitos ego generis huius in libro tuo reprehendere possum. Omnes enim sunt paralogismi, vbicunque tu sumis ad probandum, quod a me nõ cõceditur, quæ si persequi velim, quis me ineptiẽtem ferret? Etẽ ad scholas pertiẽnt ista, & ad puerorum exercitatiões, non ad veram pugnam, vbi res serio & acie in hostem directa geritur. Hæc sane est argumentatio tua, Non

omnes capiũt hoc verbum, inquis, sed quibus datum est, vel, quod idem valet, nõ omẽs sunt apti ad cœlibatum, sed hi dũtaxat, q vocati sunt, Ergo monachi & sacerdotes, inquis, quibus datum nõ est, continere nõ possunt. Imo nolũt Buccere, possent certè si vellẽt. Datum est eñ omnibus, qui volunt & petũt a domino. Vbi est igitur vitium? hic opinor, quod tu humanitus nõ omẽs posse capere, nec omẽs posse vocari sentis, ego autem posse fieri vtrunq; sentio, nõ humana, sed diuina facultate, cui nihil est impossibile, cuiusque bonitati fidere nos & committere debemus. Deinde tu nõ omnibus dari putas, sed ijs duntaxat, quibus visum sit. quod etsi verum est, obscurum est tamen, nec rem satis explicat, itaque elabendi ansam præbet ijs, qui se capi hic vident, & verbum euangelicum prætexunt incontinentiæ suæ. Etenim tantundem scieris, ecquibus domino visum sit dare continentiam, & quibus datum sit, cum vtrunque in diuino consilio sit positum. Dicamus igitur apertius, quibus sit datum, vt intelligatur, recte ne accusemus monachos incontinentes, an propter inopiam cœlestis beneficij, non illis tantum, sed etiam adulteris & fornicatoribus ignoscamus. Nihil de meo sensu Buccere hic proferam, quod sciam te fidem mihi nouo theologo habiturum non esse. Itaque

Nõ omnes capiunt verbũ istud

vetera omnia erũt, nec vulgarium, ſed illuſtrium theologorum, quos tu ipſe ſtudioſe citare ſoles, vt ſi mihi fidem habere nolueris, illorum authoritas te commouere poſſit. Origenes igitur, qui vetuſtiſſimus eſt, in hunc ipſum locum euangelij de eunuchis ita ſcribit, Qui autem ſuſcipit verbum viuum & efficax, inquit, & acutius ſuper omnem gladium bis acutum, & gladium ſpiritus, ſicut Apoſtolus ait, & præciderit concupiſcentiam ſuam, corpus ſuum non tangens, & hoc fecerit non incitatus propter timorem hominum, neque propter laudem humanam, ſed propter ſolam ſpem regni cœleſtis, iſti ſunt, qui caſtrauerunt ſeipſos propter regnum dei. Et addit, Magna ergo res eſt ſe caſtrare propter regnum dei, quod non capiunt omnes, ſed quibus datum eſt. Datum eſt autem omnibus, inquit, qui huiuſmodi gladium ſibi petunt a deo dari. Vides omnibus dari Buccere, qui petunt ſibi gladium dari caſtrandæ libidinis, quod eſt donum continentię, quod tu nec dari omnibus, nec petendum eſſe contendis. Sed in eandem quoq; ſententiam Chryſoſtomus, quem tu plurimi facis, quẽq; pro te interpretando contra Colonienſes de epiſcopo vnius vxoris viro, cæteris etiã, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino anteponis, is inquam contra te hoc in loco ita ſcribit, vt omnem certe defenſio-

Origenes in Matth. cap. 19. tract. 7.

sionem tibi eripiat. Sed si electiõis opus est, inquit, quomodo incipiens statim dixit, Non omnes capiunt, sed quibus datum est? Et respondet, vt singulare id esse certamen perdiscas, nõ forte datam necessitatem suspiceris. His enim datum est, qui sponte id eligunt: quod sane ideo dixit, inquit, vt ostẽderet nobis superiore auxilio opus esse. quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac luctatione superiores euadere. Quid hic est, sponte eligere, Buccere? quid, omnibus supernum auxilium paratum esse, qui in hac pugna vincere velint? An hæc non satis plane & vocatiõem ipsam, & donum dei ostendunt? Nõ necessario quidem suscipi cœlibatum, sed electiõis munus esse, quam tu certe vocationem esse, aut fatearis necesse est: aut si hæc non est, quæ nam sit alia, & qualis sit, ostendas oportet. Vincere autem quenque qui velit, non proprijs quidem viribus, sed superno auxilio, quod paratum sit omnibus, qui modo vincere in hac lucta, & superiores euadere velint, quid hoc est aliud obsecro, quam doni cœlestis compotem esse? sine quo vt vincere nemo in hac pugna, ita nemo, qui velit vincere, eodem destitutus esse possit. Sed incerti quoque nominis author in homilia XXXII. quæ & ipsa Chrysostomo adscribitur, eundem locum ita exponit, Non omnes, inquit,

Chryso. in Mat. cap. 19.

Apud Chryso. tom. 2.

Patres defendūtur a Bucceri calūnia.

laudant virginitatem, ita cœlibatum commendāt, vt interim faueant matrimonio, commoda eius & incommoda, sed & sanctitatem eiusdem, minime dissimulent. laudent in ijs, qui infirmitatis suæ conscij, neq; vlla impediti religione, nubere quam vri, homini quam deo fidem ꝓmittere maluerunt: qui deprehensi in hoc vinculo castitatem nihilo minus colunt, carnem suam mortificant, & quam non possunt integram, saltem qualemcunque deo continentiam præstare student. Hæc si a me fingi putas, lege Augustinum, vt cæteros omittam, qui cum alijs in locis multis, tū vero præcipue in libro de bono coniugali, multa disputat de institutione coniugij, de procreatione sobolis, de fide coniugum inter se, de sacramento vnitatis, de continentia etiam in matrimonio seruanda. quā non vnius Augustini, sed omnium patrum sententiam esse nemo ignorat, nisi qui scripta illorum nō legit, nemo negare potest, nisi qui veritatis inimicus premere atq; obscurare laudes virginitatis, inuidiamq; laudatoribus eius facere conatur. Omnes pie ac religiose sentiunt de coniugio, omnes laudes eius ita temperant vt præferentes castitatem liberorum desiderio, dum vtrunq; suo loco commēdant, vtriusq; dignitatem nō genere comparandorum, sed graduum interuallo distinguāt.

Lau-

Laudant igitur, non vituperant cõiugium, nec malignius de illo, quam de cœlibatu præclarius ſentiunt, ſed vt omni præconio extollunt vitam vere cœlibem, ita coniugalem ſocietatem, quæ ſine vitio contracta eſt, quæ non aduerſatur moribus ac legibus eccleſiæ, omni honore & commendatione proſequuntur. Quæ autem contra mores eccleſiæ, contraq; fidem deo promiſſam coijt, hanc non ſocietatem connubij, ſed præuaricationem, neq; tales coniuges, ſed adulteros incæſtos appellant. Nihil fingo, lege Cyprianum, quem tu contra me in hac ipſa quæſtione citaſti, & lege in eadem epiſtola, videbis quid de virginibus deo dicatis ſentiat, quid ſtatuat de eiſdem, ſi fidem ſponſo fallãt, quanta grauitate offenſionem publicam, quanta ſeueritate obſtinationem in delicto proſequatur. Lege Ambroſium de lapſis virginibus, videbis quanto feratur dolore, quanta acerbitate illam in eccleſia palam increpet, quæ cum domino ſacrata eſſet, corrumpi ſe paſſa fuerat, adulteram Chriſti, corruptionem Satanæ, tugurium diaboli, lutum platearum, latentem in tenebris ſtellionem appellans. Neſcio, inquit, an poſſit ei digna mors & pœna cogitari. Deinde occurrit, Dicit aliquis, Melius eſt ergo nubere quam vri. Et reſpondet, Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum ve-

Inceſtæ dicatarũ nuptiæ.

Cypria. epiſt. 11.

latam. Cæterum quæ se spopondit CHRISTO, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro, & iam si voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.

Sed de Cypriano respondes mihi idipsum, quod citasti contra me in libro tuo, iussisse illum vt dicatæ deo virgines nubant, non obstante voto quod fecissent. In quo vellem, primum, vt sententiam totius epistolæ inspexisses propius, atque etiam ponderasses, priusquam hoc dictum excerptum de toto corpore, velut ramulum vnum auulsum ex arbore non frondosa magis quam fructuosa, velando sententiæ tuæ vitio accommodasses. Deinde illud abs te peto, vt idem iuris mihi concedas in Cypriano, quod tute in omnibus patribus tibi vsurpas, nimirum vt si quid ille sine expresso scripturæ testimonio solus, vel cum paucis sentit, id ne fraudi mihi sit, si pro catholico non recipiam: sed liceat, sicut tu arbitratu tuo, & vbicunque libitum est, discedis ab omnibus, ita pari iure mihi non ab omnibus, sed ab vno cum omnibus discedere. Atque hoc iure vti si velim Buccere, possim certe sine reprehensione, iure optimo, inquam, atque æquissimo, quod tute nullo iure in hac causa, sed summa iniquitate atque licentia

Auertitur obiecta Cypriani authoritas, & sententia eiusdem mox exponitur

centia tibi vsurpare soles. Sed nõ vtar, relinquam hanc integram authoritatem non tam tibi, quam mihi ipsi, causa ipsa scilicet ac veritate fretus. Videamus quid tãdem, & quibus verbis iubeat Cyprianus hoc, quod tu vis, nempe, virgines deo dicatas nubere? Quod si se ex fide, inquit, Christo dicauerunt, pudice & caste sine vlla fabula perseuerẽt, ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectẽt. Iubet vt quæ vouerunt castitatem domino, fidem promissam constanter seruent. Deinde addit, Si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant, quam in ignem delicijs suis cadant. Hoc Buccere non iubet Cyprianus, sicut tu scribis; sed permittit duntaxat, quæ duo multum, vt docet author minime malus, inter se differunt. Nam aliud præcipere est, inquit, aliud permittere. Quod enim præcipimus, semper placet, quod autem permittimus, nolentes præcipimus, quia malam voluntatem ad plenum prohibere non possumus. Quid igitur permittit Cyprianus? vt quæ in fide promissa perseuerare nolunt vel non possunt, nubant. Quid inquis? num inhonestam rem permittit? Minime vero. neque enim nuptias hic quisquam vituperat, aut non etiam sanctas esse confitetur. Sed illud considerandum est, quæ in permittendo mens & voluntas

Cypriani locus de virginibus deo dicatis, in epist. 11.

viri

viri sanctissimi fuerit. Non enim credibile est illum permisisse nuptias deo dicatis virginibus eadem libertate, qua aliis, quæ dicatæ nõ erant, cum plurimum inter liberam & deo dicatam sicut hodie, ita tunc quoq; interesset. An vero tu talem tan tumq; episcopum, tam peritum scripturarum, tam diligentem, tam religiosum, tam sanctum pudicitiæ custodem, castitatis amatorem nullum discrimen inter sanctimonialem virginem, quæ deo cõsecrata est, & eam quæ nulla religione tenetur, fecisse existimas? Cui te persuasurum hoc speras? aut quem pium sanumq; hominem æquo animo auditurum? sanctam & deo dicatam virginem eodem loco haberi a Cypriano, quo liberam & secularem, pari iure vtranque, pari nuptiarum commertio censeri. Quin illud potius cõfiteris, quod certe, si rem propius spectes, negare non poteris, Cyprianum non simpliciter, necq; sine graui improbatiõe dicatis nuptias permisisse, sed ita si pro pter mollitiem continere non possent (vt vulgo loquimur) aut fidem mutato animo seruare nollent, tunc enim satius esse duxit, vt cõtra fidem pro missam nuberent honestius, quam eadem fide nihilo minus violata, extra nuptias deliciando, grauius delinquerent. Permittit igitur talibus vt nubant, nõ aliter quam Moses Iudæis permiserat libellum

bellum repudij, ob duritiam cordis eorũ, hoc eſt, propter peruerſam eorum obſtinatamq; voluntatem, ne ſcilicet peiora committerent. Melius enim erat, permittente lege matrimonia ſolui, quam odio compellente homicidia fieri. Itaq; permiſit illis mala facere, ne peiora facerent. Sic Cyprianus permiſit ſacris virginibus nubere, nõ vt bene, ſed ne peius facerent. Melius eſt enim, inquit, vt nubant, hoc eſt, tolerabilius & leuius ad offenſionem dei, pœnamq; æterni ſupplicij luendam, vt ſi molles ſunt, vel animum continendi obſtinate mutarunt, vinculo nuptiali cum vno coniunctæ ſint, quam vt delicijs ſuis, hoc eſt, incæſto nefarioque cõcubitu ſcandalum eccleſiæ facientes altius in ignem ſe mergant. Itaq; addit ſtatim, Certe nullum fratribus aut ſororibus ſcandalum faciãt, cum ſcriptum ſit, Si cibus ſcandalizat fratrem, non manducabo carnem in ſeculum. Et in tractatu de ſingularitate clericorum, Væ, inquit, huic mundo a ſcandalis, veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. & addit, Si has domini comminationes religioſo corde metuimus & veremur, plus de alijs quam de nobis extimeſcamus periculum noſtrum, qui mutuis, teſtante Paulo apoſtolo, vtilitatibus obligamur. Quibus verbis monet, quantum a ſcandalo cauendum ſit, quanto ſtudio mutuis ad

ſalutem rationibus ſeruire debeamus, Paulum citans, qui teſtetur nos ad hæc officia inuicem obligatos eſſe. Quis igitur dubitat, quin hanc ipſam rationem exegerit ab omnibus? ſed maxime a clericis & ſacris virginibus, id quod res ipſa demonſtrat? vt ſi qua lapſa pœnitere, & ad priſtinum inſtitutum redire nollet, nuberet potius, quam palam ſcortãdo deformaret ordinem ſacrarum virginum, cæteriſq; ad ruinam offendiculum poneret. Tanti enim faciebat ſacratam deo virginitatẽ, vt lapſis & incontinentibus nuptias potius illicitas concederet, quam integritatem earum, quæ labi poterant, turpium exemplorum cõtagione periclitari pateretur. Num quis igitur negare poteſt? quin eas, quibus ſic permiſit nubere, non ſolum non abſoluerit a crimine, ſed etiam cum hoc ipſo cæteris ne idem permitti neceſſe eſſet, conſulere voluerit, perfidiam illarum atque obſtinationem grauiſſimo iudicio condemnarit? Sed tamen nuptias, inquis, permiſit illis, quas certe lex pontificia non ſolum interdicit voto obſtrictis, ſed etiam contractas reſcindit. De contractis, reſcindendæ ſint nec ne, nulla mihi tecum quæſtio eſt, ſed de lege cœlibatus, poſſit ea præſtari, an non poſſit, id quod ſupra profeſſus ſum. ex quo perſpicietur, recte ne, an ſecus cœlibatus in eccleſiam in-

tro-

troductus sit. Nam quid expediat hoc tempore, alia quæstio est, quam sapientioribus disputandam, nec vni populo, sed vniuersæ ecclesiæ determinandam relinquo. De Cypriano fateor, illum permisisse coniugia voto obstrictis, sed nõ vt fas extraq; crimẽ esset, verum vt dixi, ne scandalo coniuncto cum perfidia, delicta cumularẽtur, id quod eodem in loco ex v̾bis ipsius clarissime patet. Verum esto, putarit fas esse, nec permiserit tm̃, sed etiam iusserit, vt tu falso scribis, num idcirco ecclesiæ nihil licuit? catholicumq; habebitur, non quod omnibus, vel certe maiori parti, sed quod vni cum paucis visum fuit? Non opinor Buccere, neque tu ipse authoritates ita recipis. Certe Ambrosius, Hieronymus, Augustinus defendunt voti religiõem contra libidinem, eamq; deo ita gratam esse iudicant, vt si qua nupserit contra promissi fidem, eam non tam hominis sponsam, quam Christi adulteram esse statuãt. His si Cyprianum vnũ cum pauculis, quos indicat titulus epistolæ, opposueris, neq; his tantum, sed toti ecclesiæ, quæ quod permisit ille, seuerissime vetuit, imo pro incęsta copula ac sacrilegio putauit, quid profecturum te credis? plus ne valebit vnius aut trium, q̃ oĩm, vel certe plurimoꝝ? plus epistolæ a paucis ad vnũ scriptę, q̃ tot millium cõsensus in orbe terraꝝ atq; authoritas?

Quanquam nego, vt dixi, sensisse hoc Cypriani, nego iussisse nubere professas, sed permisisse tantummodo propter obstinatam voluntatem, nego a crimine absoluisse nuptas, sed damnasse perfidiam, offendiculum remouisse. Cur enim vota seruanda esse alio in loco ipse censuit? nec censuit modo, sed scripturis etiã cõfirmauit? Ita eñ scribit ad Quirinum, Quod quis deo vouerit, inqt, cito reddendum est, vt apud Salomonem, Prout voueris votum domino, ne moram feceris reddere illud. Et in Deuteronomio, Si autem voueris votum domino deo tuo, non tardabis reddere illud, quia inquirens quæret illud deus tuus a te, & erit in peccatum: ea quæ egredientur per labia tua, obseruabis, & facies donum, quod locutus es ex ore tuo. Item in Psalmo XLIX. Inuoca me in die pressuræ, & eximam te, & clarificabis me. Item in Actis apostolorũ, Cur impleuit Satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto, cum esset fundus in tua potestate? nõ hominibus mentitus es, sed deo. Et apud Hieremiam inquit, Maledictus qui facit opera domini negligenter. Harum tu scripturarum Cyprianum oblitum fuisse putas, cum epistolam illã de virginibus scriberet? aut si in mente habuit, id q̃d certe negari non potest, ad votum tamen continentiæ pertinere non est arbitratus? Hoc eñ video te dictu-

Ad Quirinum libro 3. cap. 30.

Votum cõtinentiæ.

dictũrum eſſe,& contra has ſcripturas hunc eluſi
onis angulum quæſiturum,id quod metuens feci-
ſti etiam,& quod futurum eſſe videbas,anteuerti-
ſti.Itaq; negas omnia,quæ quis vouerit, præſtan-
da eſſe.Quid enim,inquis, ſi quis necem parẽtum,
aut immolationem liberorum vouerit?Quaſi ve-
ro hoc a me ſcriptum ſit,omnia quæ quis vouerit,
præſtanda eſſe. Equidem ita ſentio, non vouenda
potius,quam non præſtanda eſſe omnia, quæ re-
cte & pie præſtare poſſis . Quod ſi ea vouiſti,
quæ præſtare non poſſis, aut ſine crimine non
poſſis, nulla culpa niſi tua eſt, qui ſtulte vouiſti.
At voti fidem nihilo minus a te reqret dominus,
qui ſi rectum piumq; eſt,quod vouiſti,gratum ha
bebit, dum reddes. Sin autem ſtulte vouiſti, ſicut
Iepte,qui voti ſui cauſa poſtea in luctu fuit, teneris
nihilo minus, ſed iam voti ſolutionem dominus
gratam habere non poteſt. Etenim culpa tua fa-
ctum eſt, vt quod præſtandum erat, ſine peccato
præſtari non poſſit.Nõ igitur vouiſſe, quod non
licet, melius eſt,quam quod licet, ſi voueris, non
præſtare. Verum quid hæc ad cœlibatum? Pri-
mum enim honeſta,imo etiam deo gratiſſima eſt
virginitas. Continentiam vero etiam in coniugio
patriarchæ ſanctiſſimique homines multi præſti-
terunt.Deinde poſſe præſtari hæc ipſa a vouenti-

bus, si velint, opinor satis demonstratum esse, non proprijs quidem viribus, sed dono cœlesti, quod inchoatum iam contigit omnibus, qui pio animo vouerunt. Augetur autem perseuerantia, quam is quoque tribuit, qui vouere nos iubet. Vouete enim, inquit, & reddite domino deo vestro. Qui certe verax in promissis, in auxilio fidelis est, nec quenquam sequentem iussa sua destituit.

Hæc cum ita sint, cumq; tu scripseris, ea duntaxat vouenda esse, quæ in nostra manu sint posita, cur cœlibatum existimas in nostra potestate non esse? An hoc satis probasse te in libro tuo cõfidis? Quid enim scripsisti? Non omnes vocati sunt ad continentiam, ergo non omnes cõtinere possunt. Bella argumẽtatio, qua rẽ tãtam nobis obtrudere conaris. Multis in locis exagitas paralogismos meos, quasi acutum artificiosumq; sit, vbi de re nõ conuenit, verissimam quanq; argumentationem hoc nomine cauillari. Infinitos ego generis huius in libro tuo reprehendere possum. Omnes enim sunt paralogismi, vbicunq; tu sumis ad probandum, quod a me nõ cõceditur, quæ si persequi velim, quis me ineptiẽtem ferret? Etenim ad scholas pertiẽnt ista, & ad puerorum exercitatiões, non ad veram pugnam, vbi res serio & acie in hostem directa geritur. Hæc sane est argumentatio tua, Non

omnes

omnes capiũt hoc verbum, inquis, sed quibus datum est, vel, quod idem valet, nõ omẽs sunt apti ad cœlibatum, sed hi dũtaxat, q̃ vocati sunt, Ergo monachi & sacerdotes, inquis, quibus datum nõ est, continere nõ possunt. Imo nolũt Buccere, possent certè si vellẽt. Datum est em̃ omnibus, qui volunt & petũt a domino. Vbi est igitur vitium? hic opinor, quod tu humanitus nõ omẽs posse capere, nec omẽs posse vocari sentis, ego autem posse fieri vtrunq; sentio, nõ humana, sed diuina facultate, cui nihil est impossibile, cuiusque bonitati fidere nos & committere debemus. Deinde tu nõ omnibus dari putas, sed ijs duntaxat, quibus visum sit. quod etsi verum est, obscurum est tamen, nec rem satis explicat, itaque elabendi ansam præbet ijs, qui se capi hic vident, & verbum euangelicum prætexunt incontinentiæ suæ. Etenim tantundem scieris, ecquibus domino visum sit dare continentiam, & quibus datum sit, cum vtrunque in diuino consilio sit positum. Dicamus igitur apertius, quibus sit datum, vt intelligatur, recte ne accusemus monachos incontinentes, an propter inopiam cœlestis beneficij, non illis tantum, sed etiam adulteris & fornicatoribus ignoscamus. Nihil de meo sensu Buccere hic proferam, quod sciam te fidem mihi nouo theologo habiturum non esse. Itaque

Nõ omnes capiunt verbũ istud

vetera

vetera omnia erũt, nec vulgarium, ſed illuſtrium theologorum, quos tu ipſe ſtudioſe citare ſoles, vt ſi mihi fidem habere nolueris, illorum authoritas te commouere poſſit. Origenes igitur, qui vetuſtiſſimus eſt, in hunc ipſum locum euangelij de eunuchis ita ſcribit, Qui autem ſuſcipit verbum viuum & efficax, inquit, & acutius ſuper omnem gladium bis acutum, & gladium ſpiritus, ſicut Apoſtolus ait, & præciderit concupiſcentiam ſuam, corpus ſuum non tangens, & hoc fecerit non incitatus propter timorem hominum, neque propter laudem humanam, ſed propter ſolam ſpem regni cœleſtis, iſti ſunt, qui caſtrauerunt ſeipſos propter regnum dei. Et addit, Magna ergo res eſt ſe caſtrare propter regnum dei, quod non capiunt omnes, ſed quibus datum eſt. Datum eſt autem omnibus, inquit, qui huiuſmodi gladium ſibi petunt a deo dari. Vides omnibus dari Buccere, qui petunt ſibi gladium dari caſtrandæ libidinis, quod eſt donum continentię, quod tu nec dari omnibus, nec petendum eſſe contendis. Sed in eandem quoq; ſententiam Chryſoſtomus, quem tu plurimi facis, quẽq; pro te interpretando contra Colonienſes de epiſcopo vnius vxoris viro, cæteris etiã, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino anteponis, is inquam contra te hoc in loco ita ſcribit, vt omnem certe defen

Origenes in Matth. cap. 19. tract. 7.

ſio-

ſionem tibi eripiat. Sed ſi electiõis opus eſt, inquit, quomodo incipiens ſtatim dixit, Non omnes capiunt, ſed quibus datum eſt? Et reſpondet, vt ſingulare id eſſe certamen perdiſcas, nõ ſorte datam neceſſitatem ſuſpiceris. His enim datum eſt, qui ſponte id eligunt: quod ſane ideo dixit, inquit, vt oſtẽderet nobis ſuperiore auxilio opus eſſe. quod quidem omnibus paratum eſt, ſi volumus in hac luctatione ſuperiores euadere. Quid hic eſt, ſponte eligere, Buccere? quid, omnibus ſupernum auxilium paratum eſſe, qui in hac pugna vincere velint? An hæc non ſatis plane & vocatiõem ipſam, & donum dei oſtendunt? Nõ neceſſario quidem ſuſcipi cœlibatum, ſed electiõis munus eſſe, quam tu certe vocationem eſſe, aut fatearis neceſſe eſt: aut ſi hæc non eſt, quæ nam ſit alia, & qualis ſit, oſtendas oportet. Vincere autem quenq; qui velit, non proprijs quidem viribus, ſed ſuperno auxilio, quod paratum ſit omnibus, qui modo vincere in hac lucta, & ſuperiores euadere velint, quid hoc eſt aliud obſecro, quam doni cœleſtis compotem eſſe? ſine quo vt vincere nemo in hac pugna, ita nemo, qui velit vincere, eodem deſtitutus eſſe poſſit. Sed incerti quoq; nominis author in homilia XXXII. quæ & ipſa Chryſoſtomo adſcribitur, eundem locum ita exponit, Non omnes, inquit,

Chryſo. in Mat. cap. 19.

Apud Chryſo. tom. 2.

quit, capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Non dixit, non omnes poſſunt, inquit, ſed non omnes capiunt, id eſt, omnes quidem capere poſſunt, ſed non omnes capere volunt. Et paulo poſt, Quod autem dicit, quibus datum eſt, non hoc ſignificat, quibuſdam dari, & quibuſdam nõ dari, ſed illud oſtendit, niſi gratiæ auxilium acceperimus, nihil nos ex nobis ipſis valere. Sed quia gratia volentibus nõ denegatur, in euangelio dicit dñs, Petite & dabit̃ vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperiet̃ vobis. Oĩs enim, qui petit, accipit, & q quęrit, inuenit, & pulſanti aperiet̃. Debet aũt volũtas præcedere, inqt, & ſic ſequit̃ gratia. Nam nec gratia ſine voluntate quicquam operat̃, nec voluntas ſine gratia poteſt. nam & terra non germinat niſi pluuiam acceperit, nec pluuia fructificat ſine terra. Huic ſentẽtię Theophylactus ſubſcribit his verbis, Magnam, inquit, ait dñs virginitatis eſſe poſſeſſionem, ſed eam non ab omĩbus recte præſtari, ſed ab his dũtaxat, quorum cooperator eſt deus. nam hoc loco, datum eſt, valet, quibus cooperatur deus. Illis aũt datum eſt, qui petũt. Petite, inqt, & dabitur vobis, omĩs enim, qui petit, accipit. Vides quid ſentiant patres Buccere, non noui, ſed vetuſtiſſimi, doctiſſimi ſcilicet ſanctiſſimiq; viri. Non capiũt omẽs, inquiũt, id eſt, omnes quidem capere

Theop. in Mat. cap. 19.

poſ-

possunt, sed non omnes volũt. Et, datum est nõ vni magis q̃ alteri, sed omnibus, qui petunt, hoc est, non frigidis, nõ ijs, qui beneficio aliquo, aut etiam vitio naturæ continentes sunt, nec appetunt fortasse mulieres, quas auersantur etiam, sicut de quibusdam proditum est, sed omnibus, qui petunt a dño, diuinumq; auxilium implorãt. Quæ si vera sunt, quomodo subsistet tua defensio? qua culpam remoues ab ijs, qui professi sunt cõtinentiam, & postea vxores duxerunt: qui se negant continere potuisse, nec vocatos fuisse ad cœlibatum, sed ad coniugium. Vtrum vocatus non est, qui ex instinctu spũs sancti sacrauit deo continentiam suam? qui se addixit ordini ecclesiastico? voto obligauit? cui promissum est auxilium diuinum, modo id petat a dño, seq; bonitati eius ac fidei committat? An vero hæc vana est opinio, deũ mouere corda nostra ad affectanda ea, quę recta piaq; sunt? eundemq; fidelem esse? rogari velle a nobis, succurrere infirmitatibus nostris, quas tentari vltra vires non sinat? Quæ si falsa sunt, certe mẽtitus est Paulus, decepti sunt euangelistæ, patres falsa nobis atq; etiam indigna religione catholica prodiderũt. Vbi est igitur argumẽtatio tua, sub cuius ꝓpositione nõ vnus, sed multi paralogismi delitescũt? qua ita colligis, Non

omnibus datũ esse, ergo non oẽs continere posse. Quod si nolle diceres, recte inferres, nunc cum aliud proponas, aliud concludas, quis dialecticus hãc argumentationem ferat? Non omnes volunt Buccere coelibes viuere, idcirco non omnes capiunt hoc verbum, nec præstant coelibatum, sed recte vxores ducunt. Malunt enim facilius tutiusque in matrimonio, quam in coelibatu periculosius viuere. Hoc igitur modo si colligeres, reprehendi non posses, verum quod intendis, minime efficeres. Non enim a culpa defenderes eos, qui cum ex professo debeant præstare continentiam, eo se excusant, quod scriptum sit, non omnibus datum esse vt continentes sint, nec vident hic falsam causam allegari, quæ occultatur sub scripturæ testimonio, quæ non de facultate ac viribus nostris, sed de voluntate cuiusq; & dei auxilio loquitur, id quod ita iam planum factum est, vt amplius sine pudore negari nõ possit. Sileat igitur vox tua, qua legem coelibatus impossibilem & tyrannicam appellas, non posse cõtinere omnes, ac ne professos quidem, sed ne debere quidem hos ipsos, si se ad cõiugium potius quam ad coelibatum vocatos esse sentiant. Vides enim quid promittat dñs, quid sentiant patres, qd tota deniq; ecclesia iudicet, quæ vsq; ab apostolis infinitos coelibes sanctissimosq; hoĩes ꝑduxit.

Sed.

Sed redeo ad votum, & quæro ex te, cum deus in scripturis vota rata esse iubeat, cur tu damnes votum continentiæ? cur pium deoque acceptum esse neges? An vero impie facit, qui carnem suam cum vitijs crucifigens mactat domino? qui corporis sui integritatem tanquam victimã deo offert? Possum ne euincere abs te, hoc quoque voti genus seruandum esse? neque ignosci oportere cuiquam, quantacunque infirmitate præditus sit, sed cum diuina magis quam humana facultate præstetur, ab omnibus, quicunque vouerint, præstandum esse? Vouete, inquit, & reddite domino deo nostro. Et Paulus, qui promissam continentiam non seruantibus damnationem irrogat, Viduas, inquit, adolescentiores deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Primam fidem ait, fidem cõtinentiæ Christo promissam, qua reiecta nubere volunt, habentes damnationem, qa non homini, sed spiritui sancto mentitæ immortalem sponsum fefellerunt. Sed tu hanc interpretationem nõ recipis. Arguis etiam negligentiam meam, quod hunc locum male interpunctum citauerim, quasi in hoc vertatur summa controuersiæ. Primum, ad rem nihil pertinet: quia non de distinctione, quæ præcedit, sed de verbis, habentes

Votum cõtinentiæ seruãdum esse.

damnationem, & primam fidem irritam fecerunt, inter nos contenditur, quid per ea Paulus significare voluerit. Deinde Augustini codex, & quidem Basileæ impressus, ita habet, sicut ego interpunxi, tomo IIII. in libro qui, de bono viduitatis, inscribitur, pag. DCC.XXIX. litera A, ex quo locum eundem, securus distinctionis nihil ad me pertinentis, in epistolam meam conieci. Erasmi volumen, cuius tu lectionem a me requiris, ad manum non erat, nec si fuisset, tamen vacasset mihi persequi singula, vt q festinabam in re tuta, quam in publicum venturam esse minime suspicabar. Verum tu reprehendisti me, vt video, quod scripturas oscitanter citauerim, quasi hoc animaduersione dignum in epistola mea fuerit. In quo equidem hanc coniecturam habeo, non fuisse illud, quod te mouerit, sed offensum te potius grauitate testimonij voluisse obturbare mihi aucthoritatiq; huic tantæ, quacunq; parte posses, detrahere. Itaque quanuis reprehendas securitatem oscitantiamq; meam, tamen ita laboras in illa quasi plaga auertenda, vt vix vllo in loco magis occupatus sis, vix vsquam minus tibi constes. Negas enim fidei verbum hoc loco de voto continentiæ, sed generaliter de fide in Christum, atq; adeo de vniuersa pietate ac religione intelligendum esse. Tandem,

in-

inquis,eo lasciuiæ & libidinis peruenerunt(de vi= duis loquens) vt iam fidem nõ tam datam ecclesię de colendo cœlibatu,q̃ addictam Christo de vni= uersa pietate ac religiõe reijcerẽt,vna cum cœliba= tu repudiãtes ipsam etiam professiõem Christi.Et paulo post, De reiecta igit̃ fide Christi,inqs,nõ de voto cœlibatus,hic Apostolus locutus est,cum di xit,primã fidem reiecerũt. Deinde aliquãto post, quasi huic interpretatiõi parum fidẽs,ita scribis,Si vero cõtendis, fidem in hoc dicto Pauli, habentes iudicium, χρῖμα, quia primam fidem reiecerũt, de voto intelligi oportere,iudiciũ hoc certe irritæ hu ius fidei,de iudicio & cõdemnatione nõ dei,sed ho minum oportebit intelligi,quia deus per Aposto lum suum & hic & alibi iubet nihilo minus tales nubere, sicut & melius est eas nubere q̃ vri. quan= quam viduæ illæ,quas hic Apostolus reprehẽdit, si quid vouerunt, inquis, in eo peccarunt, & in dei quoq; iudicium inciderũt,quod temere vouerũt. Sed neque hæc satis firma esse credis,sed rursum mutas,ita paulo post scribens, Nam vt demus hic primam fidem,quam Apostolus querit̃ a quibus= dam iunioribus irritam esse factã, de voto cœliba tus intelligi debere, & iudicium, quod tales incur= rũt,esse condemnationem dei, tamen vniuersa do ctrina & præceptio huius loci eo pertinet, vt qui

Bucce. Pag.14

Pag.16.

Pag.17.

Timo=

Timothei munus gerunt episcopi,& qui sunt curatores ecclesiarum, cauere modis omnibus & auertere studeant hunc tam grauem lapsum,hoc scandalum & exitium eorum,q cœlibatum temere suscipiunt, & præcipiant iuniores quidem viduas nubere,parere liberos, & quæ sequuntur. quæ eo certe pertinent,vt si prima fides de voto, & damnatio de gehenna intelligenda sint,dicamus moneri his Pauli verbis episcopos,vt prouideant,ne iuniores fœminæ & mares in ecclesijs temere voueant,neue committant, cuius postea eos pœniteat, cum ruina & aliorum offensione. Tribus igitur modis vno in loco varias. Primum,fidem non de voto intelligi, sed de vniuersa in Christum religione. Deinde,si de voto intelligatur,tamē in verbo, damnatiōem habētes, nō iudiciū dei et gehennam, sed damnationem iudiciumque hominum accipi oportere. Tertio, si vtrunque, nempe & fides de voto, & damnatio de gehēna intelligatur, tamen hoc dictum pertinere ad commonefaciendos episcopos,ne permittant mares & fœminas adolescentiores temere continentiam vouere,sed ad coniugia potius hortentur. Quasi vero coniugium sit deo gratius quam virginitas,aut vocationi diuinæ per episcopos obtrectandum sit, aut, vt semel dicam, hæc solutio tua ad quæstionem nostram pertine-

at,

at,qua non,vtrum vouendum ſit,nec ne,quæritur, ſed an votum cõtinentiæ factum nuncupatumq́; deo, ſeruandum ſit. Quam multis poſſem reprehendere inanes flexus orationis tuæ, ſi ocium eſſet mihi,aut ſi non potius incurrerent in ea ipſa, quæ hactenus dicta a me ſcripturisq́; confirmata ſunt. Sed videamus tamen Auguſtini ſentẽtiam, cuius tu authoritatem ſine odio contemnere nõ poteris, quid ille ſentiat contra te hoc in loco, & quomodo non hæc tantum Pauli, ſed etiam illa Prophetæ verba exponat, quibus ſpiritus ſanctus iubet nos vouere domino,& reddere,vouere, inquam, non dona tantum,aut ieiunia, aut ſacrificij immolationem,ſed virginitatem etiam & continentiam, gratiſſimam deo victimam, qua de corporibus noſtris nihil gratius illi, neq́; ſanctius offerre poſſumus. Itaque pluribus verbis hunc locum exequens,alterumq́; de viduis ex Paulo inducens, ita loquitur, Vouete, & reddite domino deo noſtro. Quiſq́; quod poteſt voueat,inq̃t,& reddat.Ne vo ueatis, & non reddatis, ſed quiſque quod poteſt, voueat & reddat. Non ſitis pigri ad vouendum, non enim viribus veſtris implebitis. deficietis ſi de vobis præſumitis:ſi autem de illo, cui vouetis, vouete,ſecuri reddetis. Deinde ait, vota quædam omnium communia eſſe,vt credere in deum,ſpe-

Aug. in Pſal. 75.

T rare

tare ab illo vitam æternam, non furtum, non adulterium facere. quædam autem singulorum propria, de quibus ita statuit, Sunt etiam, inquit, vota quædam propria singulorum. alius vouet deo castitatem coniugalem, vt præter vxorem suam non nouerit aliam. Sic & fœmina, vt præter virum suum non nouerit alium. Alij etiam vouent, etsi experti tale coniugium, vltra nihil tale pati, nihil tale concupiscere, aut sustinere, & isti vouerunt aliquid maius, quam illi. Alij virginitatem ipsam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale experiantur, quale illi experti sunt, & reliquerunt. & isti vouerunt plurimum. Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis aduenientibus. magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem sanctorum. magnum votum vouit. Vouete, & reddite domino deo nostro. Quisque quod vouere voluerit, voueat. illud attendat, vt quod vouerit, reddat. Vnusquisque deo quod vouet, si respicit retrorsum, malũ est. Nescio quæ castimonialis nubere voluit. Quid voluit? q̊d & virgo quælibet. qd voluit? quod & mater ipsius. Aliquid mali voluit? mali plane. quare? quia iam vouerat domino deo suo. Quid enim dixit de talibus apostolus.

lus Paulus,cum dicat viduas adoleſcentulas nubere,ſi velint? ſed tamẽ ait beatiorem, ſi ſic permanſerit, non tamen damnandam, ſi nubere voluerit. Quid autem ait de quibuſdam, quæ vouerunt & non reddiderũt? Habentes,inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid eſt, primam fidem irritã fecerũt? Vouerunt,inqt,& non reddiderunt. Nemo ergo poſitus in monaſterio frater dicat, Recedo de monaſterio,neq; ẽm ſoli q ſunt in monaſterio, peruẽturi ſunt ad regnum cœlorum,& illi qui ibi non ſunt,ad deum non pertinent. Reſpondetur ei, Sed illi non vouerunt,tu vouiſti,tu retro reſpexiſti. De die iudicij cum dominus minaretur,quid ait? Memẽtote vxoris Loth. Omnibus dixit. Quid enim fecit vxor Loth? Liberata eſt a Sodomis, & in via poſita retrorſum reſpexit. vbi reſpexit, ibi remanſit. Et paulo poſt, Vidua, quæ iam ſic permanere voluerat, voluit nubere. hoc voluit, quod licuit ei, quæ nupſit: ſed illi non licuit, quæ de loco ſuo retro reſpexit. Virgo eſt caſtimonialis iam dicata DEO. habebat & cætera, quæ vere ornant ipſam virginitatem, & cætera. & mox, Si ante quam vouiſſet, nupſiſſet, non damnaretur. Deinde, Quæ autem reſpexerit ad nuptias, non quia voluit nubere, damnatur, ſed quia non ante

Primã fidem irritã fecerunt.

recesserat, & fit vxor Loth respiciẽdo retrorsum. Paulo post autem, Iam quia ista tractauimus, forte volebas vouere, & modo non vis vouere. Ergo vouere volebas, & non reddere? Imo vtrunq; fac. Vnum fit ex professione tua, alterum ex adiutorio dei perficietur. Aspice eum, qui te ducit, & non respicies retro, vnde te educit. qui te ducit, ante te ambulat, vnde te eduxit, post te est. Ama ducentem, & non te damnabit retro respicientem. Vouete & reddite domino deo nostro. Idem in Psalmum LXXXIII. Vnusquisq;, inquit, fratres charissimi, de loco itineris sui, ad quem proficiendo peruenit, & quem vouit deo, inde respicit retro, cum ipsum dimiserit. verbi gratia, statuit castitatem coniugalem seruare, inde enim incipit iustitia, recessit a fornicationibus, & ab illa illicita immunditia, quando se ad fornicationes conuerterit, retro respexit. Alius ex munere dei maius aliquid vouit. statuit nec nuptias pati, qui non damnaretur, si vxorem duxisset, post votum, quod deo promisit, si duxerit, damnabitur: cum hoc faciat, quod ille, qui non promiserat, tamen ille non damnatur, iste damnatur. quare? nisi quia respexit retro. Iam enim ille ante erat, iste autem illuc nondum peruenerat. Sic virgo quæ si nuberet, non peccaret, sanctimonialis si nupserit, Christi adultera reputabitur: respexit:

xit enim retro de loco, quo accesserat. Quid Buccere? vtrum grauius testimonium, an sententias clariores desideras? Augustinus omnium veterum theologorum facile princeps, a quo episcopi omnes illius aetatis doctissimi sanctissimique viri, tanquam ab oraculo consilia petebant, qui inter lumina ecclesiae velut clarissimum sidus tot seculis omnium catholicorum consensu fulget, is damnat tuam sententiam, meam confirmat, prorsusque ita sentit contra te, vt non reddēdum modo hoc voti genus, sed etiam iubente deo suscipiendum esse censeat, id quod tu negas, dum moram facis suscipiendo coelibatui, & hoc ipso coniugium castitati, liberorum procreationem virginitati anteponis. dissimulans quae ex Esaia supra a me citata sunt, quantis praemijs ornentur eunuchi euangelici, quanta foelicitate solitudo eorum compensetur. Pauli vero sententia quam dilucida expositione aperiatur, vides. quanta commendetur authoritate scripturae, quibus verbis illustretur. Quid est, inquit, primam fidem irritam fecerunt? Respondet, vouerunt & non reddiderunt. Et infert, Nemo ergo positus in monasterio frater dicat, Recedo de monasterio, & quae sequuntur. De damnatiōe autem quid clarius dici potuit? De die iudicij, inquit, cum dominus minaretur, quid ait? Mementote vxo-

ris Loth. Omnibus hoc dixit, inquit. Et explanat, Quid enim fecit vxor Loth? Liberata est a Sodomis, & in via posita retrorsum respexit. vbi respexit, inquit, ibi remansit. Quid hic est, dies iudicij, Buccere? quid Sodomæ? quid in via esse, & respicere? quid ibidem remanere? Item de eo, qui vouit cœlibatum, nec damnaretur, si vxorem duxisset, Post votum, inquit, quod deo promisit, si duxerit, damnabitur. Et sanctimonialis, inquit, si nupserit, Christi adultera reputabitur. Vbi est igit solutio tua, quam trifariam variasti? Vtrum vna satis non erat? An quia ne vnam quidem habebas, cui recte crederes, idcirco tres proferendo, nullam ipse veram esse iudicasti? Nihil ergo profecisti in hoc triuio, sed hæres eodem in luto, in quo deprehensum te veritas ipsa defixit. Quid enim prodest tibi, quod aliam atque aliam interpretationem veritati obtendisti? cum frustra luctando integrum mihi locum reliqueris, nulla ex parte labefactatum oppugnatione tua, Augustini autem testimonio locupletissime confirmatum.

Idem tibi accidit illo etiam in loco, quem contra infirmitatis querelam ex Paulo opposui, cui querenti responsum fuerit, Sufficit tibi gratia mea. Vbi tu gratiam, non pro auxilio, sed pro fauore duntaxat, interpretaris, his scilicet verbis, Sufficit ti-

Bucce. pag. 58

bi

bi gratia mea, hoc eſt, inquis, ſatis ſit tibi quod ti-
bi faueo, & charum te habeo. Sed aliquanto poſt
mutans, ita ſcribis, de eo ſcilicet, quem non vo-
catum ad cœlibatum negas exaudiri, ſi contra ten-
tationem deum inuocet, hoc modo, Huic quid pu- Pag. 59.
tes aliud, inquis, dominum reſpõſurum eſſe, quam
ſufficit tibi gratia mea, quoniam & contrahenti ti
bi matrimonium, quod ſpiritus ſanctus pronun-
ciat melius eſſe quam vri, non deero, & meam in
te virtutem, quanuis in humiliori vitæ conditio-
ne, efficaciorem & illuſtriorem reddam. In priori
igitur loco gratiam pro fauore ſimpliciter, in po-
ſteriori pro auxilio diuino interpretaris, dum ex-
planando inquis, Non deero tibi, &, meam in te
virtutem efficaciorem reddam. In quo illud abſur
diſſimum eſt, primum, quod negas cœlibem non
vocatũ ad continentiam exaudiri a domino, qua-
ſi qui vouit, iam vocatus non ſit. Deinde, quod au
xilium detractum cœlibatui, matrimonio tribuis,
quaſi coniugibus, vt cõtineant, auxilio magis opus
ſit, quam cõtinentiam profeſſis, aut quaſi illi quam
iſti auxilio digniores ſint, cum tñ omnibus dictum
ſit, Venite ad me oẽs q laboratis. &, Petite, & acci-
pietis. Verũ mitto abſurda. Hæc varietas Buccere,
& inconſtantiã doctrinę tuę arguit, & facit obſcu
ritatẽ, dum incertum relinquit, qd tandem verbo,

gra-

gratiæ, accipi velis, fauorem ne tantum, an etiam auxilium diuinum, id quod Paulum sensisse non solum res ipsa, sed etiam sequens clausula demonstrat, dum additur, Virtus enim in infirmitate perficitur. significans in imbecillitate nostra, si perseueremus, maiorem virtutem dei enitescere. Quæro igitur ex te, vtrum hanc vel illam interpretationem ratam esse velis contra me? Si priorem dicis: falsam esse negari non potest. cum ipse Paulus responsum hoc sibi datum non de fauore tantum, sed de cœlesti auxilio intellexerit, id quod verba ipsius ostendunt. Sin posteriorem: fateris idipsum, quod ego sensi, nempe laborantibus sufficere diuinum præsidiũ, fitq; hoc ipso, vt sustinere vim Satanæ diuino præsidio, carnemq; vincere possimus. Quod si verum est, iacet tua assertio, qua accusas legem cœlibatus, negasq; ab omnibus, etiã si velint, continentiam præstari posse. Sed nega hoc sensisse Paulum. Neq; enim interest, neges, an de industria obscure loquaris. Nega, inquam, cœleste præsidium Paulo promissum fuisse, cum datum sibi quereret stimulum carnis, angelum Satanæ, a quo colaphizaretur. Quæram ex te, agnoscas ne Chrysostomi sententiam? implicatam verbis tuis in posteriore interpretatione tua, quam paulo ante citaui, ad coarguendam inconstantiam orationis

nis tuæ? Chrysostomi, inquam, quem tu citas contra me, non de gratia quidem promissa Paulo, sed de stimulo carnis & angelo Satanæ? de quibus nulla mihi tecum controuersia est. Siue enim hic malos homines intelligas, quasi Satanæ nuncios, q colaphizarint Paulum, siue carnis tentationes, quas ipsas quoq; Satanas summittit, ad rem nihil pertinet. Sed de gratiæ verbo hic tecum disputo. Hoc igit̃ dico a Chrysostomo non pro fauore dei tantum, beneuolentiaq;, vt ita dicam, erga Paulum, sed pro auxilio etiam cœlesti, virtuteq; diuina accipi, qua aderat illi in tentationibus deus, qua mentem eius ad omnia perferenda confirmabat. Hac dico nobis opus esse, eandemque petentibus sine dubio a deo contingere, qua confirmati possimus non carnem modo atq; diabolum, sed etiam mortem ipsam vincere. Quæ cum ita sint, cur negas confirmari sententiam meam Pauli testimonio? imo cur euerti eandem, hancq; ipsam authoritatem contra me facere scribis? An quia Paulum alio genere tentationis conflictatum fuisse Chrysostomus sentit, idcirco exemplum eius ad carnis infirmitatem accommodari non potest? & gratia dei adest ijs, qui vexant̃ a malis hominibus: ijs autem qui vrunt̃ carnalibus desiderijs, contraq; vim Satanæ in se ipsis pugnant, non adest? Cur ergo

generaliter loquitur Paulus? dum addit, Virtus enim in infirmitate perficitur. Quasi dicat, quanto infirmiorem te sentis, tanto præsentius tibi adero, vt victis ab infirmitate tua quamlibet infestis hostibus, virtus in te mea perfectius elucescat. An hoc ad omnem infirmitatem non pertinet? & aliis ab imbecillitate sua laborantibus opitulatur dominus, alios negligit? Certe omne periculum intra nosmet ipsos est, siue extrinsecus vis inferat a malis hominibus, siue a Satana, qui nusquam quiescit, intus suscitetur. Sed redeo ad Augustinũ. Ille censet fidem CHRISTO seruandam esse, & ni fiat, crimẽ committi damnabile, quod adulterio peius esse iudicat. Idem sentit Ambrosius, quẽ supra citaui, qui lapsas virgines nõ pœna modo, sed etiam morte dignas esse pronunciat. Quid tu cum asseclis tuis? contra hos duos ne tutores veritatis, custodes pudicitiæ, virginitatis propugnatores (cæteros enim omitto) contra hos duos, inquam, Ambrosium & Augustinum, duo lumina ecclesiæ, interpretes scripturarum, pietatis omnis ac religionis assertores, nõ dico pronunciare quicquam, sed vocem attollere, aut etiam consistere audebitis? Dic apud pios cordatosque homines, apud eos, qui nulla sectarum labe contacti sunt, plus tibi quam Augustino credendum esse, quem putas

tas fore ſenſum audientium te? quantam non dico indignationem, ſed execrationem omnium commouebis? Sed ſatis ſit de voto ac cœlibatu: quem locum tu cum verboſiſſime tractaueris,atq; idcirco me quoque coegeris plura dicere quam volui, nondum tamen aſſecutus ſum omnia, neq; ad ſingula reſpõdere potui,ſed multa interim amputanda, multa prætereunda diſſimulandaq; mihi fuerunt,vt conſulerem breuitati,& inter alias occupationes meas aliquando ad finem peruenirem.Illud tamen,in quo ſumma rei cõſiſtit,ſatis a me demonſtratum eſſe confido, legem cœlibatus impoſſibilem non eſſe, id quod tu negas, & in quo firmamentum dogmatis tui conſtituis,ſed præſtari poſſe ab omnibus, qui velint, non humanis quidem viribus, ſed diuino auxilio, quod vere perſeueranterq; orantibus non defuturum eſſe deus ipſe promiſerit. Ex quibus ſane illud effeci, votum neq; impium, deoque ingratum eſſe, quo ſe ſponte ſua quis ad cœlibatum adſtringit, neque defendi aut excuſari poſſe eos, qui cum legibus eccleſiæ eundem ſuſceperint, aut deo vouerint continentiam, poſtea ſera pœnitentia mutati abijciant inſtitutum, fidemque promiſſam violent. Inter hæc reſpondi cum maledictis, tum argumentis tuis, non ſerie quidem orationis tuæ, quæ in Epilogus.

immenſum perduxiſſet,ſi te ſequi perrexiſſem,ſed vt ſe obtulit quodque,& ad refellendum opportunum viſum fuit. In quo tamen illud ſemel in totam cauſam profeſſus ſum, nullius me ordinis licentiam,vllorumue hominum genus in hac defenſione mea tueri velle,ſed reſpondere duntaxat ſcripto tuo, quod tu ita intentaſti mihi, vt non ſolum reprehenderis ſententiam meam flagitatam abs te, nulloque odio tui ad te ſcriptam, ſed accuſaris etiam grauiter eandem tanquam impiam,gratiæqꝫ ~~& voluntati hominum~~ deditam, me autem ipſum ita tractaueris, vt contemnendum obiurgandumqꝫ aduerſarium potius, quam reuincendum tibi propoſuiſſe videaris.

DE AVTHORITATE ECCLESIAE.

VENIO igitur ad quartum & vltimum caput epiſtolæ meæ, quod de authoritate eccleſię prioribus tribus addiderã, in quo tu oppugnãdo cum maximam partem libri tui conſumpſeris, non videõ ad ſingula mihi, ſed ad capita duntaxat

reſpon=

respondendum esse, contrahendamq; orationem, quæ in immensum abitura esset, si te sequi potius quam breuitatis rationem habere velim.

Ac primum quidem illud dissimulãdum non est, te sub vnius scripturæ vmbra vẽsari, & in hac sola tanquam in cardine quodam omnem vim disputationis tuæ constituere, qua dissentis a vera catholicaq; ecclesia, non ad confirmationem veritatis, sicut res ipsa ostendit, sed ad perfugium erroris, cui honestius patrocinium magisq; populare inueniri non potuit. Hanc enim sonas omnibus in locis, & in omni certamine obijcis: per hanc quacunq; parte premi te sentis, ita elaberis, vt apud tui studiosos victor magis in omni congressione q̃ victus abire videaris. Verum hac arte versutiaq; tua minime fallis eos, qui & ipsi legunt scripturas, nec legunt tantum, sed etiam vim voluntatẽq; earum scrutantur, non ex literis sophisticis, quas tu calumniaris, sed ex diuinis ipsis orthodoxorumq; patrum libris: qui cum vidẽt te iactare verba scripturarum, sed a sensu earundem veroq; intellectu abhorrere, quam putas opinionem concipiunt de te? quanto cũ dolore apologias tuas? quanta cum offensione nomen doctrinamq; tuam repudiant? Scripturarum authoritatem, ne quid erres, nos quoq; amplectimur, eiq; primas tribuimus in hac

Bucceri dimicatio tota sub vmbra scripturæ statuit.

causa, ecclesiæ secundas, sed nusquam seiunctas a primis: patribus tertias ita adiungimus, vt nō discedere a prioribus, sed ad nutum voluntatemque earum apparere velimus. Tu vero qui omnia ad solam scripturam reuocas, qui neq; interpretationis lumen, neq; tradēdi partes extra vocem complexumq; eius recipis, quam authoritatem obsecro, aut quem omnino locum ei ad ecclesiæ vtilitatem relinquere potes? Primum enim nihil fere sine scriptura, & quidem expressa, recipis, quod quis statui de religione aut iudicari velit. Deinde si quid expressum in ea, aut omnino comprehensum non est, ita vt vel opera interpretationis, vel traditionis officio indigeat, in eo quoque expressam scripturam flagitas, aut quod proponitur, accepturum te esse negas. Scilicet, vt cum illud exigis, quod non facile in multis, in omnibus nullo modo præstari potest, aut concedendum sit tibi, quod postulas, aut in certamen tecum minime veniendum. Quid enim aliud agis, dum & sensum cuiuslibet scripturæ arbitrio tuo accipis vel repudias, & interpretationem eiusdem non tam ex voluntate spiritus, quam ex voce ipsa metiris? Itaque disputationem omnem ad hunc exitum comparasse videris, vt cum vrgeris maxime, tum eludere aduersarium, & quacunque parte velis,

intactus elabi possis. Nihil hic mentior Buccere, hæc ita esse nemo ignorat, nisi qui scripta tua non legit. Dico in omni doctrina tua te sub vnius scripturæ vmbra versari, nomen verbi diuini prætendere, sub hoc latere te, hic omnia perfugia, omnes erroris latebras constituere. Quod cum ita sit, vides quid res tua postulet, remouere conaris lumina veritatis, diemque a penetralibus tuis excludere. Itaque ecclesiæ sanctorumque patrum authoritatem oppugnas, qua sublata, neque intelligi vere, quæ in diuinis libris scripta sunt, neque contra insidias defendi vllo modo posse confidis. Quid enim aliud operatur illa tua tam longa sermocinatio de ecclesia, de patribus, de vera authoritate prælatorum ac potestate? quæ certe huc pertinet, vt mihi persuadere coneris, nullam hodie, Pag.148 neque statuendi de religione, neque de ecclesiasticis causis iudicandi authoritatem veram esse in ecclesia, quam tu pontificiam siue Romanam appellas, sed hæc omnia ex scripturis ipsis petenda esse: quæ quidem nullam obscuritatem habeant in iis, Pag.148 & sequẽ quæ ad salutem sint necessaria, sed intelligãtur ab tibus. omnibus, etiam rudibus atque indoctis, nec vllam de se dubitationẽ relinquant. In cæteris aũt vt pleraque obscura sint, nec tam diserte explicata, intelligi tñ ea ac iudicari ex collatione scripturarum, & ex

lumi-

lumine rationis: in quibus illud omnino seruan-
dum esse præcipis, ne a scripturæ sensu atq; a re-
gula fidei vsquam recedamus. Agnoscis, opinor,
non verba quidem ipsa, quibus in hac sentẽtia ex-
equẽda plurimis vteris, sed summam fere eorum,
quæ de ecclesia eiusdemq; authoritate contra me
disseruisti. In quibus equidem non omnibus a te
dissentio, sed pleraq; ita vera sunt, vt melius ab a-
lio dici nõ potuissent. qualia sunt, quæ de συμπαθείᾳ
membrorum atq; vnitate ecclesiæ, de ordine mini
sterij, de disciplina, de scripturarũ authoritate lo-
queris, nempe a scripturæ sensu & a regula fidei re
cedendum non esse. in quo sane, & si qua alia sunt
eiusdem generis, ita mihi tecum conuenit, vt in eis
dem firmamentum defensionis meæ constituam.
Quæ vero reliqua sunt, quæque tu ex illis efficere
conaris, de his mihi tecum controuersia est, nimi-
rum de interpretandis iudicandisque scripturis,
deq; authoritate ac potestate ministrorum eccle-
siæ, penes quos tu hodie nullam neq; tradendi ne-
que iudicandi plenam authoritatem esse conten-
dis, sed oĩa ad solam scripturam reuocas, quam
detracto sane interpretationis officio, non obscu-
ram incertamq; relinquere non potes.

Vbi sit contro-uersia.

Omnis igitur tua aduersum me in duabus re-
bus versatur oratio, in verbo, quod scripturis con
tine-

Proposi tio, in quã ca-

tinetur, & in ecclesiasticæ potestatis officio. De pita ad-
verbo hæc fere sunt capita assertionis tuæ. Nihil uersarij
de religione nisi ex scriptura certa statuendum es- digerun tur.
se. Scripturam in rebus ad salutem necessarijs pla Bucce.
nam expositamq; omnibus esse. Quemuis suo in Pag. 144
eisdem iudicio relinqui oportere. De ministris au Pag. 141
tem, Nullos esse veros ministros ecclesiæ, nisi qui Pag. 199 & 201.
verum purumq; verbum domini sequantur: cæ- in fine.
teros nullum ius, nullamq; authoritatem habere, Pag. 155 in fine.
nec audiendos esse. Nullum episcopum recte ha- Pag. 171
bere potestatem in alios episcopos, siue plures, si- cum se
ue vniuersos: sed omnes pares esse. Permagnam quent.
esse conciliorum authoritatem, quibus tamen ali- itē pag. 157.
ter credendum obtemperandumq; nō esse, quam Pag. 150
si placita decretaq; eorum consentiant cum vero cum se-
intellectu scripturæ. Hæc quasi firmamenta oppo quent.
suisti epistolæ meæ, in qua ego ecclesiæ sanctorumq;
patrum authoritatem, & in his primatum cathe-
dræ Romanæ ita defendi, vt censuerim decreta
conciliorum vniuersalium apud omnes rata esse
oportere: primam inter episcopos authoritatem
esse Romani pontificis, cui cæteros secundum dis
ciplinam dicto audientes esse conueniat, nimirum
ad conseruationem vnitatis ecclesiasticæ, & ad pa-
cem in eadem tranquillitatemq; retinendam. Hu-
ius sententiæ Buccere me adeo nō pœnitet, vt spe-

rem me facillime, & confutaturum esse tua, quæ tu multis verborum ambagibus disseruistis contra me, & mea liquidissimis non rationibus modo, sed etiam testimonijs confirmaturum.

In quo sane illud prætereundum non est, verissimum esse, quod dixi, omnem rationem te ac spem victoriæ sub vnius scripturæ vmbra constituere. Dum enim ad sentẽtiam illius reuocas omnia, exponẽdæq; eiusdem ac dijudicandæ authoritatem nullam, cui cõtradici non possit, relinquis, quid aliud agis obsecro? quam quod re ita, vt dixi, comparas, vt omnẽ sensum scripturę modereris arbitrio tuo, inq; manu ac potestate tua omnẽ interpretandi tradẽdiq; authoritatẽ habere coneris? Nihil prę-

Breuis & proluforia reprehensio.

ter scripturam certam statuẽdum esse ais. Quasi vero interpretatione sublata, vlla certa satis esse, aut si sit, nõ etiam incerta per te fieri possit. Itaq; nihil, ne vtile quidem ac necessarium, statuẽdum erit, nisi tibi placuerit. Sed plana sunt, inquis, omnia ad salutem necessaria. Hoc vero caput est erroris, ex quo ducuntur cætera: quod quidẽ cuiusmodi sit, mox planum fiet, nec verbis tãtum, sed etiam rebus clarissimis ante oculos statuetur. Illud autẽ quale sit, vel tu ipse considera, Suo quenq; iudicio relinqui oportere. Quæ turba deum immortalem futura æstimo quæ impietas ac scelera, si hoc ipsum recipia-

cipiatur? Itaq; recte adiungis, solam scripturam se quendam esse, nec audiendos, qui id non faciant: nec alium alio maiorem in potestate ecclesiastica, sed omnes episcopos pares esse. Ne quis scilicet oc currat grassanti insaniæ, nullaque potestas sit, quæ prælatos consentientes hæreticis, aut etiam defen- dentes coercere possit. Quod sequitur autem, non absurdum modo, sed etiam inconsistens esse, quis non videt? quo ita abs te statuitur authoritas in ec clesia, vt eo ipso verissime tollatur. Vis enim non aliter valere illam, vndecunq; in terris profectam, quam si cum vero puroq; verbo scripturæ con- sentiat. At hoc ipsum vt certum habeatur, non ni- si authoritate præstandum est, dum quæstio sci- licet, consentiat nec ne, a quouis etiam impuro mo ueri possit. Quæ igitur aut qualis erit authori- tas, etiam si summam esse statueris, in quam inqui- ri ab improbissimo quoque, decretoque eius scri- ptura qualitercũq; exposita opponi poterit? Quæ cum ita sint, non subsistunt hęc firmamẽta tua Buc cerę, quæ statuis contra me, nec admitti debent in disputationem vllam, cum rem minime expediãt, sed ducant in orbem, inuoluãtq; oratiõem potius, quam exitum quæstioni vllum inueniãt. Verum ne queri possis, seuerius a me tecum summoque

Vitiũ di sputatio nis Buc ceranæ.

iure actum esse, nec tam fugisse me vitium disputationis tuę, quam certamē detrectasse, remittam hoc tibi, atq; etiam largiar ad commoditatē tuam, causaq; ipsa fretus experiar, ecquid possim quae a me dicta propositaq; sunt, non verbis tantum probare, sed rebus etiam clarissimis in conspectu atq; in oculis omnium constituere.

Propositio tripartita. Primum igitur de scriptura, qualis sit, dicam, in qua tu constituis fundamentum assertionis tuae. Deinde de officio ac potestate ministrorum ecclesiae. Tertio de authoritate ipsa, quae, & vbi, & quanta penes quenq; sit. In quibus interim persequar atq; refellam ea, quae abs te posita paulo ante a me commemorata sunt, non eodem quidem ordine, sed vt aptum vnumquodq; mihi opportunumq; suo loco visum erit. De scriptura. Nego igitur Buccere, tantam esse perspicuitatem scripturae, quantam tu ei tribuis: nego tam late patere eandem, vt voce sua comprehendat, eloquaturq; omnia, quae vel in hanc vsq; diem necessaria fuere in ecclesia, vel in posterū futura sunt, nō ad excolendam modo disciplinam ecclesiasticam, quae quotidie instauranda est, sed ad pietatem etiam religionemq; ipsam, tum vero maxime ad vnitatem ecclesiae, extra quam nihil saluū esse potest, conseruandam. Quid vis amplius? nego vera esse haec, in quibus tu caput constituis do-

ctrinæ tuæ, caput ipsum, inquam, ex quo ducũtur omnia, cuiusq; ad originem cuncta a te in hac quęstione referuntur. Ais omnia, quæ ad salutem sint cognitu necessaria, abunde copioseque tradita esse diuinis scripturis, ais easdem scripturas planas apertasq; esse omnibus, ita vt intellectus earum neminem fallere possit. Ex quo illud per te continuo efficitur, suo quenq; iudicio in eisdem relinqui oportere. Quod si verum est, iacet authoritas ecclesiæ, neq; ab illa aut traditio præceptorum, aut scripturarum interpretatio petenda erit, sed quod volet quisque, hoc discet ex sacris literis, quas sine doctore intelliget, quodque visum erit ipsi, non quod docebit ecclesia, sine omni dubitatione atq; periculo verum esse iudicabit. Verissima erit igit̃ Buccere causa tua, vicistiq; aduersarios, neq; vlla authoritas siue potestas opponi tibi poterit, quo minus rata sint omnia, quæ hactenus tradidisti populo, quæq; te ipso interprete ex scripturis varie & inconstanter docuisti. Sed quis non videt ex falsissimo principio duci hęc omnia? falsamq; esse hypothesin hanc de perspicuitate ac latitudine scripturæ, in qua omnis doctrina tua statuitur? nec falsam modo, sed etiam contrariam susceptæ disputationi, ac per seipsam inconsistentem. Etenim dum statuis plana certaq; esse omnia, quę quis de rebus ad

Inconsistẽtia rationis Bucceranæ.

ſalutem neceſſarijs e ſcripturis iudicauerit, cumq́ multa ſint eiuſdem gn̄is in hac ipſa quæſtione noſtra, de quibus aliud ego, aliud tu, in contrarias partes ex eiſdē ſcripturis ſtatuimus, quō vera erit tua hypotheſis, quæ cōtrarias ſentētias ſimul veras efficit? aut ſi veræ illæ nō ſunt, quō certa ſunt in ſcripturis oīa, quęcūq́ ad ſalutē ais cognitu eſſe neceſſaria? Sin aūt ſunt certa, vt aſſeris, quō litem hāc non dirimunt? præſertim cum ſuo quiſq́ iudicio relinquēdus ſit: q̊d tn̄ ipſum ſi verū eſt, cur tu non relinquis me meo iudicio? cur me oppugnas in hac cauſa? cur non aſſentiris mihi tua lege citanti ſcripturas? ſi quidē certa ſunt oībus omnia, cur me, inquā, iure abs te poſito vti non ſinis? Niſi vero euchariſtiæ diſpenſatio ad ſalutem fidelium non eſt cognitu neceſſaria, neq́ obſeruatio diſciplinæ eccleſiaſticæ, quam qui abijcit, infœlix eſt, vt inquit ſcriptura, neq́ in vnitate corporis Chriſti manere poteſt.

Propoſitiōis inſtaurationio. Nego oīa Buccere tradita eſſe canonicis ſcripturis, quæ non dico ſeruiunt diſciplinæ eccleſiaſticæ, ſed ad inſtaurationem eiuſdem, ac proinde ad vniuerſæ eccleſiæ ſalutem cognitu ſunt neceſſaria: nego omnia, quæ tradita in eiſdem legimus, ita expreſſa eſſe verbis, vt aut plana apertaq́ intellectu ſint omnibus, aut in eandem apud omnes ſententiam conueniant. Poſſum ne te aliquando pro-

tra-

trahere ex his latebris, erroremq́ꝫ istum, in quo caput est omnis persuasionis tuæ, in luce atq́ꝫ in conspectu ipso veritatis defigere: Duo sunt, quæ propositione ista complexus sum. Vnum, non omnia tradita esse scripturis diuinis. Alterum, ea quæ tradita sint, neq́ꝫ plana apertaq́ꝫ esse omnibus, neq́ꝫ in eandem sententiam apud omnes confessa esse. Primum tu ipse mihi confessione tua testatum facis Buccere, dum in libro tuo de traditionibus ecclesiasticis ita scribis, Non omnia tradita esse scripturis, sed quædam absque scripto ab apostolis patribusq́ꝫ accepta esse. Cuius gn̄is sunt baptismus infantium, inq̄s, obseruatio diei dn̄ici, item quod cœna domini a ieiunis celebretur & percipiatur, & alia pleraq́ꝫ huiusmodi. Item canones pleriq́ꝫ omnes, inquis, de disciplina Cleri & reliquæ ecclesiæ. Quam sane confessionem accipio abs te hoc in loco, nec non exemplorum genus agnosco, quibus plura tamen & addi posse nunc, & in futurum addenda esse, nemo, vt opinor, negabit. Quanquam non omnibus ista ad salutem cognitu necessaria esse fateor. Veruntamen quā vim habeant in toto corpore ecclesiastico, quātiq́ꝫ referat p̄latos ecclesię in q̄ plurimis eorꝝ ita eruditos esse, vt neq́ꝫ ignorēt ea, cū sint ad salutē multorꝝ totiusq́ꝫ ecclesiæ vnitatē necessaria, neq́ꝫ non eadem illa consentiente in vniuersum

Bucce. pag. 145

uerſum religione obſeruent, mox ita planum faciam, vt nihil obſcurum in hac diſputatione relictum eſſe videatur.

Nunc illud reſtat, vt altero per te confeſſo, non omnia ſcilicet ſcripturis tradita eſſe, alterum ego oſtendam, nō tam perſpicuam, tamq́ in idem confeſſam eſſe apud omnes ſcripturam, etiam in his, quæ cognitu ad ſalutem neceſſaria ſint, vt nullius egeat interpretationis officio, nullumq́ extra ſe iudicem requirat. In quo ſane illud occurrit, quod abs te poſitum, cuiuſmodi ſit, hoc loco pariter exequēdum eſt. Duo ſcilicet genera rerum ſcripturis cōtineri. Vnum ad ſalutem neceſſarium, ſine quo, vt te ſentire arbitror, ſalus nulli contingere poteſt, vt quæ ſymbolo fidei, & præceptis decalogi contenta ſunt. Hoc cum omnibus cognitu quoq́ neceſſarium eſſe velis, confirmas in omnibus ſcripturis ita clarum conſpicuumq́ eſſe, vt nullius doctoris indigeat, ſed nuda expoſitione intelligatur fidemq́ faciat. Hæc neceſſe eſt, inquis, cognoſci a piis omnibus, nec poſſunt communi naturæ intelligentia percipi. Proinde ſunt in ſcripturis vbiq́ diſſerte, adeo perſpicue & abunde propoſita, expoſita, inculcata, vt ad intelligenda ea ſola euangeliſtarum narratio, aut aſſidua ſacrorum librorum lectio ſatisfaciat, animo nimirum illuſtrato lumine ſi dei,

Duo genera rerum in ſcripturis.

Pag. 141

dei, ſine quo nihil veræ religionis ſolide cognoſci poteſt. Quæ autem ſint illa, proximo ante loco his verbis oſtendis, Nos peccato cum naſci tum eſſe, quandiu hic viuimus, obnoxios, nec niſi per Chriſtum liberari ab eo poſſe, & Chriſto non niſi fide euangelij recte coniungi. fide autem hac ita ipſi nos inſeri, vt nos viuamus in ipſo, & viuat ipſe in nobis, bonaq́ꝫ omnia ſuo operet̃ ſpiritu, in primis ſolidam perceptæ ſalutis confeſſionem, veram cum ſanctis omnibus coniūctionem, inde ardens in ſacris religionis exercitijs, quæcūq́ꝫ ipſe inſtituit, ſtudium, mox ſedula earum rerum cura, quæcunque proximis vel per ſe bono ſunt, vel ad id conferūt, vt commoda illorū in omnibus efficiamus. Quæ quidem tribus verbis dici poterant, ſymbolo fidei, præceptis decalogi, & ſacramentis eccleſiæ, quod his tribus ſumma religionis noſtræ contineatur. Alterum genus eorum eſſe ſentis, quæ vt ad pietatem vel diſciplinam conferant, non ſint tamen ad ſalutem cognitu neceſſaria, nec proinde tam copioſe, inquis, ac diſerte explicata ſacris literis, ſed generatim fere tradita, ac vulgo etiam fere ignorata, propoſita autem cognitaq́ꝫ ijs, qui exercitati in ſcripturis naturali prudentia polleant, quorum ſolertia pleraq́ꝫ etiam ſine propria expreſſaq́ꝫ ſcriptura iudicari ac ſtatui poſſint. Cuius generis ſunt tem- Pag. 14.

Pag.142. pora, inquis, deputãda prædicationi verbi, sacramentorꝝ dispensationi, publicis ieiunijs, precibus, oblationibus, ac rebus similibus. item baptisma infantiũ, & obseruatio illa, ne rebaptizarent̃ ij, qui ab hæreticis baptizati sint. item quæ Pauli tempore statuta fuerunt, viros scilicet orare in ecclesia apertis, mulieres tectis capitibus, se inuicem ad sacrã domini cœnam expectare, & vnam simul omnes celebrare, dono linguarum in ecclesia sine interpretatione non vti, vices in prophetãdo obseruare, prophetias sedentibus iudicandas offerre, mulieres in ecclesia tacere. His duobus generibus Buccere etsi non nego contineri omnem, siue in scripto, siue extra scriptum, ecclesiasticæ doctrinæ materiam, tamen non possum assentiri tibi, ita eandem planam obscuramue esse, quemadmodum tu hac distinctione tua persuadere conaris. Etenim vt nota sint omnibus etiam simplicibus atque doctis, qui rudimenta modo doctrinæ euangelicæ perceperunt, quæ symbolo fidei præceptisque decalogi per summa capita comprehensa sunt, quæque omnibus non cognitu modo, sed etiam seruatu ad salutem sunt necessaria: tamen cum hęc ipsa descendunt in circunstantias, & alias quæstiones efficiunt, aut cum figuris verborum in oratione sacræ scripturæ teguntur, qui poterit fieri obscro,

cro, vt intelligantur a quouis etiam imperito? nec magiſtrum intelligentiæ doctoremq; requirant? Omitto ſacramenta eccleſiæ, quæ & ipſa ad fidem ſalutemq; pertinent: quorum vt numerus referatur a pueris, qui catechiſmum diſcunt in eccleſia, idcirco ne myſteria ipſa, vimq; eorum ac poteſtatem non pueri dico, ſed adulti, imo docti etiam eruditiq; omnes percipere ex nudis ſcripturis, vereq; & catholice de eiſdē iudicare poſſe exiſtimas? At nō eſt neceſſe, inqs, ſed ſatis habent ſimplices noſſe & credere ea, quæ oratione dominica, & ſymbolo fidei, & præceptis decalogi continentur, cætera permittunt eccleſiæ, cui obediunt omnes, & cuius virtute ac meritis defectus imbecillium membrorum ſarcit. Recte ais. & hoc ipſum expectabā, vt tu ipſe, ſed vna cū Auguſtino diceres potius, quā ego pronunciarem. Eccleſia eſt enim, quæ ſalutem oīm continet, extra cuius vnitatem atq; cōplexum nemo ſaluus fieri poteſt. Vtrū igit magis neceſſarium ad ſalutem eſſe putas? q̄d ad ſingulos? an q̄d ad vniuerſos ptinet? hoc eſt, ad totius eccleſiæ vnitatem, quæ in cōmunione fidelium, in cōſenſione doctrinę, & in vinculo pacis ſita eſt, quam qui relinqt, infœlix, qui violat, impius & Chriſti hoſtis merito iudicat. Negari certe non poteſt, quin totius eccleſiæ, atque adeo vniuerſorum, multo plus interſit,

Vniuerſorū ſalus intra vnitatē poſita, cuius ratio maior quā ſingulorū haberi debet.

quam singulorum, nec nisi vniuersitate salua singu los saluos existere, multis autem ex vniuersitate pe reuntibus, illam tamen ad spem reliquorum neces sario retinendam esse. Quid igitur aliud efficit tua illa, quam ante posui, distinctio? nisi vt quemadmo dum ea, quæ ad singulorum salutem pertinent, o= mnibus cognitu necessaria sunt, ita fatearis neces= se est, ea, quæ ad salutem vniuersorum, hoc est, ad vnitatem totius ecclesiæ, qua omnium salus conti netur, apta sunt, si non omnibus, certe ijs, qui præ= sunt ecclesiæ, non tenenda modo necessario, sed eti am exquirenda diligenter, omniq; cura ac studio, vt quam verissima certissimaq; habeantur, proui= denda esse. Quod si queris ex me, quenam sint ista, Respõdeo sine hæsitatione, omnia quæ ad discipli nam ecclesiasticam, & ad veritatem doctrinæ, per quæ vnitas retinetur, pertinent: omnia, inquam, quæ non modo in symbolo fidei, & in decalogo præceptorum continentur, quorum alterum qua= si regula quædam fidei est, in altero officia Christi ani hominis per capita proponũtur: sed illa etiam oĩa, quæ ex his summis generibus per circunstan= tias (vt dixi) in varias infinitasq; species quæstio= num descendunt, quæ propter difficultatem non solum non intelliguntur statim ab omnibus, eti= am literatis, sed exercent hodie & quondam exer=

cue=

fuerunt doctissimos quosque studiosissimosque homines, quorum industria in hoc semper elaborauit, vt quæ vera piaque esse iudicarent ex scripturarum fontibus, ea fidelibus commendarent, vnitatemque consensus catholici omni studio atque conatu contra hæreticos defenderent. Falsa est igitur Buccere tua sententia, qua scribis omnia ad salutem cognitu necessaria, & tradita esse diuinis literis, & ita abunde copioseque tradita, vt nihil desiderari in eis, cognitionem eorundem ita expositam apertamque esse omnibus, vt ne simplices quidem in ea falli possint. In quo quidem si de ijs capitibus, quæ ad singulorum salutem pertinent, loqueris, habet veritatem in multis oratio tua: sin de salute vniuersorum, deque his rebus, quarum dissensio perturbare ecclesiam, nosque ab vnitate eiusdem auellere potest, vides quantũ aberres a vero, quantumque te fallat tua opinio. Nego enim omnia ex scripturis certa inque eandem sententiam confessa esse, quæ non solum ad disciplinam cultumque & mores ecclesiæ, sed etiam quæ ad symbolum fidei, ad præcepta decalogi & ad sacramentorum mysteria pertinent, quorum pleraque tanta dissensione iactata fuerunt, hodieque iactantur in ecclesia, vt grauissimas seditiones perditissimasque hæreses excitauerint. Nisi forte ante mille & ducentos annos ob-

ſcura facilisque contentio totum nomen Chriſti-anũ de æqualitate perſonarum in diuinis exercuit: dum catholici pugnabant contra Arianos, ſcri-pturasque pro ſe magna vi vtraque pars allega-bat, quarum ſententia ſi tam clara perſpicuaque fuiſſet, vt intelligi ab omnibus, cauſaque illa tam difficilis de ſacroſancta & ineffabili trinitate iudi-cari ac decidi, non dico a rudibus, ſed a doctis eti-am ſcripturarumq; peritis tam facile potuiſſet, nõ fefelliſſet populum cum tot tãtisq; viris Arius, nõ cauſam illam tanto tempore vnus presbyter cõtra totius occidentis eccleſias ſuſtinuiſſet. At non erat res ad ſalutẽ neceſſaria, inqs. Imo prima in regula fidei, tantiq; momẽti inter cæteras, vt per eam capi ta ipſa connectãt. At non ſingulis noſcenda. Imo credẽda etiam, ſi eccleſiæ credimus, quæ pſalmum etiã hoc iubentem in vſum recepit. Sed negas exa-ctam notitiam requiri ab omnibus. Neq; ego exi-go ab oĩbus, ſed ab ijs duntaxat, qui docere debent eccleſiam, pietatemq; tueri contra falſam religio-nem, fidem contra hæreſim, in quo quidem nume ro ſunt ante omnes prælati eccleſiæ, qui cum voca ti ſint ad eas partes, vt pro ſalute oĩm quaſi in ſpe-cula quadam excubent, qui poſſunt obſecro ſine ſpectata cognitione veritatis certaq; fide, aut ſatis-facere officio ſuo, aut eccleſiæ vnitatem, quam præ-

Ariana hæreſis.

ſtare

ſtare tenentur, contra inſidias erroris atq; impieta tis vlla ratione defendere? Dixi de ſacroſancta trinitate. Quid de ortu ac natiuitate Chriſti? de carne ac patibilitate eiuſdem, de reſurrectiõe, de ſpũs ſancti proceſſione, de operatione eiuſdem in nobis, de gratia & libero arbitrio commemorem? quorum exacta cognitio etſi ad ſalutem omnibus neceſſaria non eſt, obſcurata tamen ab hæreticis, qui fidei veritatem adulterare conati ſunt, quantas turbas excitauerunt? quam multos præcipites dederunt in eccleſia, vnitatemq; ipſam, extra quam ſalus nulla eſſe poteſt, diſſciderunt? Etenim Valentinus, Marcion, Montanus, Manichæus, Donatus, Pelagius, aliæq; peſtes Chriſtiani nõis, cũ freti ſcripturis ipſis, quas tu claras apertasq; eſſe cõtendis, ingentem caliginem offudiſſent ỽitati euãgelicæ, quantã labem putas ſparſiſſe in vniuerſam eccleſiam? quãto detrimento integritatem gregis dominici cum infinitorum pernicie affeciſſe? Vtrũ igitͬ tot tantosq; hoſtes planis apertisq; ſcripturis, quibus & ipſi vtebantur, delectos fuiſſe exiſtimas? an iudicio potius atq; interpretatione veritatis? qua contra illos pugnandum fuiſſe nõ ratio tm̃, ſed etiam neceſſitas ipſa conuincit. Quid de ſacramentis loquar? quorũ veritas etſi verbis euangelicis dilucide expreſſa eſt, quantis tamen diſſenſionibus exercu-

ercuit ecclesiam propter impios pertinacesq́ homines? quantis hodie exercet? non modo cum periculo ruinaq́ multorum, qui subuertuntur nouis doctrinis, sed etiam cum perturbatione ac schismate totius ecclesiæ? In his igitur quæ scriptura tam clara apertaq́ fuit, vt omnibus expedierit omnia? aut si bonis expediuit plurima semper, neq́ vllum iustæ dubitationis locum reliquit, quæ tanta fuit eius fœlicitas, vt improborum tum malitiæ tum pertinaciæ vllo vnquam tempore satisfecerit? Dictum est a domino in euangelio, Hoc est corpus meum. Quibus sane verbis neq́ clarius dici quicquam, neq́ certius demonstrari potuit. Et tamen tu ipse aliquando hæsisti hic Buccere, nec credidisti verum corpus domini esse in eucharistia, sed paucos secutus, nō ab illorum tantum partibus, quas nunc fortiter defendis, sed ab vniuersa etiam orthodoxa ecclesia obstinatissime dissensisti. An vero illud negari potest? omnia vti in quæstionem a vobis, quæcūq́ ex scripturis hodie contra vos proferuntur, etiam si luce ipsa sint clariora? Multa a me supra citata sunt, de cœlibatu, de votis, de continentia etiam in matrimonio seruanda, quæ tu tamen per se clara interpretatione tua inuoluis: multa hoc loco proferre possem, de iustificatione, de bonis operibus, de satisfactione, nisi

Exemplū apertæ scripturæ, & tamē cōtrouersæ.

&

& nota essent omnibus, & mihi breuitati consu-
lendum esset. Quæ cum ita sint, quid prodest tibi,
quod quibusdam scripturis citatis probare cona- Pag.141
ris, verbum domini ita lucidum esse, vt etiam ru-
des sapientes reddat? Nequit, inquis, non verum
esse, quod canit Psalmus, Doctrina domini sim-
plex est, & animam restituit. Testimonium domi-
ni solidum est, sapientes reddit etiam rudes. Præ-
ceptum domini purum illuminat oculos. Item, Lu-
cerna est pedibus meis verbum tuum, & lux semi-
tis meis. Quas scripturas Buccere verissimas esse
dico, sed contra me, aut etiam pro te quicquam fa
cere nego. De verbo enim domini viuo loquun-
tur, non de voce scripta, inter quæ quātum inter-
sit, si nondum didicisti ex annotationibus confuta
tionibusq; Eccij, quibus ille dogmata tua confix- Eccius.
it, frustra ex me disces. Quanquam tu Eccij no-
men mihi tanquam inuidiosum obijcis, dum arbi
traris me in oppugnatiōe tui sententias illius com-
pilasse, quasi solus aut scripserit his de rebus Ecci
us, aut inter tot lumina veterum scriptorum legi a
me dignus fuerit. Idem in Pighio etiam & Alfon-
so Canariensi episcopo facis, quorum vterque ita
scripsit pro religione catholica, vt doctrinā tuam
fortiter & diserte cōfutauerit. Sed in Eccio perspi-
citur odium tuum, in ceteris iniquitas erga doctos

catholicosque viros, quorum vel ſcriptis offenderis, quia contra ſe ſentiunt, vel de te ipſe certe cauſaque tua ita præclare ſentis, vt aliorum omnium ingenia iudiciaque contemnas. Nihil mentiar hac in re Buccere, Ego neque Eccij, neq; aliorum libellos, cum ad te ſcriberem, in manibus, ac ne tum quidem in bibliotheca mea habebam, neq; antea vnquam habueram, ne me harum quæſtionum, in quas nunc primũ iniuria tua protractus ſum, tam ſtudioſum fuiſſe putes. Vnius Alfonſi libellus recens excuſus ab amico quodam dono ad me miſſus fuerat, cuius tamen (vt ſupra dixi) paginas aliquot ita euolueram, vt delectarer magis ſtili candore hominis docti atque diſerti, quam vt magno pere id genus ſcripti conferre ſtudijs meis, aut omnino ad meam profeſſionem pertinere arbitrarer. Cur igitur inuidiæ loco obijcis mihi horum virorum nomina? An te vrunt illorum ſententiæ? a quibus cũ me nihil diſcrepare vides, cõpilaſſe illorum commentarios, paratumque aduerſum te veniſſe ſuſpicaris. An vero indignum exiſtimas inueniri me in illorum caſtris? quos tu hoſtes quidem atque inimicos tuos, verum pios tamen catholicosque viros, defenſoresque veritatis contra te expertus es? Quanquam nihil me pudet horum vel ſententiæ vel authoritatis, nihil inuidioſi

Alfonſus.

dioſi illius apud vos Eccij, qui qualiſcunque fuerit (nihil enim de moribus ac vita illius iudicare poſſum, neque inimicis eius credere debeo) certe doctiſſimum virum fuiſſe, ac vobis acerrime reſtitiſſe, negare non poteſtis. Hic igitur Eccius docet te, quantum inter ſcripturam, hoc eſt, fluxam caducamque literam, interſit, quæ & corrumpi ab hæreticis, ſicut de quibuſdam proditum eſt, maleque interpretando peruerti in alium ſenſum poteſt: & inter viuum illud æternumque domini verbum, quod non pictum in membranis, neque in tunicarum manicis inauratum, ſed digito dei in cordibus ſanctorum ſcriptum eſt, quod conceptum ſpiritus diuini inſtinctu, impreſſumque mentibus noſtris, velut gladius quidam, vt Paulus inquit, pertingit vſq; ad diuiſionem animæ ac ſpũs, illuminans oculos interni hominis, omnemque viam ac ſemitam veritatis ad vitam nobis oſtendens. Hoc verbum Buccere nullius interpretis indiget, per ſe clarum ac lucidum hæret in animis eorum, quoſcunque hoc dono ſpiritus ſanctus prędítos eſſe voluit. Quod vtinam haberent omnes, qui iactant illud, qui nihil frequentius in ore habent, quam verbum domini æternum eſſe, non vinci, non opprimi poſſe, omnem de religione ſententiam ad illius

Verbũ domini viuũ & ſcriptũ.

regulam exigendam esse. Hoc idem sentimus nos quoque, atque in hoc prorsus mihi tecum conuenit. Sed quod ad scripturam, atque adeo ad literam occidentem me vocas, quæ etiam si diligentia hominum codicumque fide integra incorruptaque manet, sensu tamen atque intellectu, quæ vera vis verbi est, sæpe inter nos variat: quodque vitio illius dum mederi studes, non alio quam ad eandem ipsam scripturam me reuocas, huic vero sententiæ tuæ acquiescere non possum, neque vllo modo recipere illud, quod si vere intellectum animaduersumque fuerit, ne ab illis quidem ipsis, qui te magni faciunt, doctrinamque tuam sequuntur, vllo modo receptum iri credam. Non igitur ad scripturam proprie pertinent illa, quæ tu de perspicuitate verbi citasti contra me, sed cum alia ratio scripturæ sit, alia vis veritasque eiusdem mente percepta, quæ verbi appellatione notatur, de hoc ipso verbo Psalmus loquitur, doctrinam & testimonium domini appellans, quod ex rudibus etiam faciat sapientes, quod illuminet oculos, quod lucernæ instar ad vitam nos ducat. Hoc verbum nec scriptum nec acu pictum esse dixi, sed insitum cordibus nostris: diuinis autem scripturis ita comprehensum, vt extent quasi vestigia illius impressa literarum notis, quibus & contineatur doctrina diuinæ erga nos voluntatis,

&

& memoria eiusdem ab obliuione perpetuo vindicetur. Huius igitur nuncius custosque est sacra Buccere pagina, cuius tu sensu neglecto vocem literamque externam nimis arcte amplecteris, cui fraus certe fieri potest, vis tamen eiusdem veritasq; ipsa corrumpi non potest. Hanc tu cum obijcis mihi, illud cogitare debes, minime a me repudiari authoritatem verbi dominici, sed falsum intellectum tuum reijci: quem cũ vitio illi affingis tuo maxima cum iniuria veritatis, si ipsa, crede mihi, scriptura tecum loqui posset, non ferret calumniam, sed continuo refelleret: nunc autem cum loqui non possit, nec tu mentem voluntatemq; eius impressam verbis agnoscere velis, aut non possis fortasse errore impeditus, quam cauillationem prætendere potes? quo minus admittas interpretem quasi diuinæ ad nos legationis, cuius voce ac fide quæ falsa sunt, argui, quæ vera piaq;, statui ante oculos & ab errore vindicari possint. Sed satis de scriptura, cuius tu incommoda dissimulans, nimis planam illam certamq; videri vis apud omnes, nimisq; vocem eius, quanuis latissimam, vltra rei tamen infinitatem extendis. Itaq; hoc ipso, quanuis aperte non agas, reuera tamen tollis tradendi interpretandiq; authoritatem de ecclesia, omnibus scilicet, etiam idiotis, non intellectum modo, sed etiam

iudicium ſcripturarum liberum ſummumq́ꝫ tribuens, negansq́ꝫ aliter epiſcopis prælatisq́ꝫ eccleſię credendum eſſe, quam ſi doctrina interpretatioq́ꝫ eorum cum vero germanoq́ꝫ ſenſu ſcripturę con ſentiat, cum tamē interim ſenſum nullum certum relinquas, omni interpretandi authoritate adempta aduerſarijs, atq́ꝫ ad te vnum, vel certe ad ſcripturam, quæ æque per te incerta eſt, reuocata: fitq́ꝫ omnino verum illud, de quo antea etiam conqueſtus ſum, te ita inſtituiſſe diſputationem hanc, vt in explicanda cauſa nō queras quidem finem vllum, ſed ad aliud, quod ęque controuerſum ſit, quaſi de induſtria te referas, ne vnquam ad certum quæſtionis exitum perueniatur.

Secūda pars huius capitis, de miniſtris eccleſiæ.

Venio igitur ad alterum locum partitiōis meę, de officio ac poteſtate miniſtrorum eccleſiæ. In quo primum illud occurrit, Non eſſe veros miniſtros, neq́ꝫ audiendos eſſe, qui verbum dei non ſequantur. Quod vt ego cōcedam tibi (volo eñ verbum dei nō minus q̄ tu in omni officio eccleſiaſtico omnibus tanquam regulam primam propoſitum eſſe) tu autem eum, qui ex præſcripto eccleſiæ faciat omnia, neges tamen ſequi verbum dei, ſed humanis traditionibus operam dare, quæ perpetua veſtra criminatio eſt, quid hic facies miniſtro? iubebis ne degradari continuo, & extra ordinem

eſſe,

esse, in quem vocatus a domino, ab ecclesia institutus est? An monebis potius? subijciesque disciplinæ, vt si quid peccat, aut peccauit, corrigatur? Negas ita agendum esse cum papistis, cum impij sint, & Antichristi serui: qui cum spiritum dei non habeant, ac ne habere quidem possint, non esse ferendos, aut etiam habendos pro ministris, multo minus audiendos. Magna est hæc criminatio, magna temeritas Buccere, si omnes episcopos ac sacerdotes, omnes clericos, impios vocas. Sed certe ita est, nec negari abs te potest. Omnes paginæ libellorum tuorum hoc conuicio redundant. Negas clero papistico, atque adeo ecclesiæ Romanæ, quæ hodie extat, spiritum sanctum promissum esse, negas tam perditis auersisque ab omni pietate hominibus lucem veritatis contingere posse. Piorum enim duntaxat hoc munus esse, & humilium mansuetorumque in ecclesia (quales scilicet vos estis) sermonesque dei trementium. Quo quidem in loco verba Prophetæ a me citata retorquere contra me, inque tuam vtilitatem conuertere conaris. Negaram enim destitui ecclesiam paracleto dei, quem dominus promisisset, cum hinc discederet. Seruasse autem promissi fidem, spiritumque suum misisse non solum discipulis breui post tempore, sed etiam quotidie

Pag. 192 cum sequentibus.

tidie mittere in animos piorum, qui non innitãtur suæ prudentiæ, non ingenijs suis præfidant, non superbi, maligni, arrogãtes, seditiosi sint, sed amantes pacis vnitatisq; ecclesiasticæ, sermonumq; dei trementes. In hos, inquam, dixi spiritum dei mitti quotidie, mitti in bonos ac pios, non in schismaticos & contentiosos. nec dixisse me pœnitet. Tu autem quid hic habes, quod conuerti possit in me? Vtrum quia dixi, spiritum mitti quotidie in animos piorum, atq; adeo in corpus totius ecclesiæ, quod tu ipse non negas? an quia hoc ipso pugnantia dixisse visus sum? Pugnant enim apud te, video, spiritum mitti non nisi in animos piorum, & impios præsidere in ecclesia, authoritatemq; doctrinæ summam tenere, quæ sine spiritu dei constare non possit.

Ordo ministrorũ ab impietatis & præuaricationis crimine defenditur.

Primum nego impios esse, quos tu accusas. Deinde etiam si sint, tamen nego incapaces esse donorum spiritus sancti, quæ cum hæreticis etiam & infidelibus quotidie communicantur. Sed quomodo probabis mihi impios esse? quomodo aliorum conscientiam iudicabis? ipse potius iudicandus ab illis, quorum communionem nullo piorum exemplo reliquisti: qui nouam constituisti ecclesiam, non ex angelis neq; ex spectatæ sanctitatis hominibus, sed ex ijs, qui te sequi, quam in vnitate

tate corporis Christi manere, maluerunt. Quomodo igitur probabis mihi doctrinæ Christi aduersari eos? nec ciues ecclesiæ, sed hostes esse? qui cum lege & more ecclesiastico ad ministerium deputati sint, inque officio atque vnitate catholica perstiterint, integram illam præstiterunt tantis temporibus, contraque tot hostes fidei defensam, vnam indiuisamque posteris præscriptione perpetua tradiderunt. Hos tu vno nomine, nullo delectu atque discrimine impios vocare audes? qui te, te inquam, iampridē consentiente orbe Christiano inter transfugas atque schismaticos computare non dubitant. Hæccine modestia est hominis theologi? studiosi vnitatis atque concordiæ sarciendæ? qua labanti iampridem ecclesiæ subueniri oportebat? Si nolles parcere hominibus, saltem nominis ecclesiastici rationem habere debebas. Nemo vituperat sacerdotem, quin dei ministrum violet: cur tu omnes vno nomine, non dico vituperare, sed impietatis, falsæ religionis, idololatriæ accusare audes? Non defendo vitia cuiusquam, nullius nequitiæ patrocinium ago; noli mihi obijcere tantam improbitatem. Temeritatem tuam ferre nequeo, qua dum debaccharis in ministros etiam pessimos, scindis vnitatem fidelium, ac propemodum ecclesiam ipsam subuertis. Quanquam nihil deprecor, si vera

 sunt,

ſunt,quæ criminaris. Neque enim credo tibi,quæ obijcis tanta vituperandi immanitate. Nego tales eſſe,quales tu facis, hoc eſt, impios & Antichriſti ſeruos, quomodo probabis mihi tam atrocem criminationem? aut cui te ſano cordatoque homini fidem facturum eſſe confidis? Ais enim hypocritas eſſe,non in cathedra CHRISTI, ſed Antichriſti ſedere,tyrannidem in eccleſia exercere,vitijs omnibus corruptos eſſe,non tradere veram doctrinam Chriſti, ſed populo fucum facere, verbo dei aduerſari, nec quæ velit ſcriptura,ſed quæ ipſi praue comminiſcentur,eccleſiæ obtrudere. In his & alijsque criminibus Buccere,quæ non hoc tantum in loco,ſed toto libro tuo ſparſa ſunt, ea quæ de moribus corruptis neglectaque diſciplina obijcis,nimirum fortaſſe vera ſunt in multis,neq; vnquam a me diſſimulata. Veruntamē noua nō eſſe, neq; huius tantum ſeculi clericorum vitia,tu ipſe non ignoras,nec quiſquam diſſimulare poteſt, niſi qui Cypriani, Hieronymi, & Auguſtini querelam de ſuis temporibus non legit. Doleo tamen iſta vehementer, diemque illam expecto, & videre cupio, non vt tollatur ordo eccleſiaſticus,ſed corrigatur, neque vt ſcindatur eccleſia, ſed reformetur. multo enim melius, non attrectari hoc vulnus, quam corpus ad interitum duci, iudico.

Crimina in clerum.

Quæ autem ad doctrinam pertinent, in qua tu dicis præuaricari sacerdotes, & aduersari scripturarum veritati, in hoc Buccere neq; tu probas quicquam, neq; ego calumniã tuam perniciosam multis; totiq; ecclesiæ periculosam dissimulare debeo. Vbi hoc probas quęso? Quia calicem adimunt laicis? quia inuocant diuos? quia missæ sacrificium etiam pro defunctis offerunt? quia monachatum probant? votum continentiæ ratum esse iubent? Crimina tua Buccere video (si quidem hæc crimina appellanda sunt, quę tantorum temporum consensu pro recte & pie factis tenuit ecclesia) probationem nondum video. Ad scripturam ergo vocas me? acqejsco, sed si verba vrgere perges, sententiam verbis opponam, non meam quidem illam, sed patrum, atque adeo totius ecclesiæ catholicæ. Quid vis amplius? quam grauiorem defensionem a me requiris? An vero audiam te rursus opponentem scripturas? quas obsecro? Eas ne, quas ignorauerunt patres atque maiores nostri? quas tantis temporibus nesciuit ecclesia? Quomodo hoc mihi aut vlli sano homini persuadebis? Scripturas tanto tempore latuisse tot pios doctosque homines, nunc denique te authore emersisse in lucem, & recte intelligi, inque aperto veritatem esse cœpisse. Hoc quam

vanum, quanquam absurdum sit, quis nisi mente captus non videt? Sed tamen scripturas quis recuset? Quid affers noui obsecro? Finge te de eucharistia allegasse locum euangelij, Bibite ex hoc omnes. Item illud Pauli, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quæ interpretatione iam ante discussa sunt, cum de eucharistia ageretur: quare hic nihil prosunt tibi. Nisi vero illud occines mihi, in quo omnis causa tua constituitur, sophisticam interpretationem esse, neque hic credendum, ne vniuersali quidem concilio, nisi quatenus cum scriptura consentit. Quę autem de illis a me secundum concilij sententiam dicta sint, pugnare cum expressa scriptura, cui plus quã concilio ac patribus credendum sit. Addes etiam ista, Nõ declinabitis ad dextram neque ad sinistram: Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. item, Facilius est cœlum & terram præterire, quam de lege vnum apicem cadere. Quas omnes scripturas Buccere agnosco veras esse. Sed declinari a me (qui patres sequor) in hãc vel illam partem veritatis, aut tolli addiue scripturis quicquam, aut non integrum verumque sensum reddi, nego. Addo etiam, & oppono tibi vicissim scripturam. dico literam occidere, spiritum viuificare, ne me sine scriptura tecum contendere putes.

Quid

Quid hic facies mihi? vtri credendum erit? tibi, qui insistis verbis scripturae? an mihi, qui apprehensa interpretatione veritatis sententiam literae oppono? Sed perstas in scripto, & negas sententiam recipiendam esse, quae a verbis discrepet, item quae per aliam scripturam probari non possit. Quod si dissidium sensus ac literae obijcis, quam multa proferre possum, vbi non dissidere modo literam a sententia, sed plane aliud dici videri, aliud secundum veritatem accipi oportere fatearis. Quid enim magis veritati dissonum est, quam deum vllius facti sui poenitere? & tamen scriptum est, Poenitet me fecisse hominem. &, Poenitet me, quod constituerim regem Saul. Sin ad aliam scripturam vocas me, nulla interim interpretandi authoritate recepta, ac ne ecclesiae quidem, cuius tu etiam concilia errare posse contendis, vide quem exitum inuenturus sis, id quod iam ante ostendi, dum, quaecunque scriptura reddetur, cuius interpretatio variabit inter partes, alia porro atque alia reddenda erit, neque ad vllam certam vnquam, quae cauillari non possit, peruenietur. Sed quaero ex te (ne quis error hic versetur) cum ad scripturam redigis omnia, quid sub hoc nomine accipias? ipsam ne vocem scriptã, cui sententia certa subiecta est? an potius sententiae ipsius veritatem? Si

veritatem dicis, vtrum plus tibi de illa quam ecclesiæ, quam concilijs etiam minoribus, quam patribus credēdum esse putas? Certe apud hos iampridem perdidisti causam, cum te vno ore condemnent omnes, tanto quam tu certiores veritatis, vt si penes illos non sit, minime apud alios in terris quæri conueniat. Sin ad orationem ipsam te refers, explicari non potest quæstio, sed cum incerta, etiam a quouis, quantumuis clara orationis sententia, nec nisi per aliam eiusdem generis orationem certa fieri (vt tu vis) possit, in infinitum (vt dixi) procurret inquisitio, neq; vllus exitus vnq; inueniri poterit. Vides igit̃ hoc maximũ vitium esse disputationis tuæ, quo tollit̃ ipsa veri inquisitio, neq; ad id, q̃d quærit̃, vnq̃ peruenitur. Quacunq; em̃ quæstione ꝓposita, vocas tuo more ad scripturam aduersarium, quo obsequente si intellectum, quem tu voles, receperit, vicisti sine negocio. Si nõ receperit, tamen ita res abs te instituta est, vt tu ab illo vinci minime possis. Vbi est igitur probatio criminum Buccere, quæ tu imputas episcopis ac sacerdotibus? impios esse papistas, qui aduersentur apertæ scripturæ, qui veritatem doctrinæ euangelicæ adulterent. An satis est verbo obijcere quælibet maledicta, nec probare? Si durius appellasses aliquem, isq; in ius traxisset te, siue

proba-

probares crimen, siue non probares, pœnam nihilo minus improbi conuiciatoris lueres: quanto grauiori pœna dignus est, qui quod obijcit, probare non potest? Hypocritas, sacrilegos, idololatras, Antichristos, leuia conuicia esse putas? At ea personant in omnibus scriptis tuis. Equidem fateor, si tales essent, quales tu facis, indignos fore, q lucem aspicerent, nedum qui audirentur in ecclesia. Verum, vt dixi, neque tu ꝓbas ista, quæ tam constãter quam atrociter obijcis, neque, vt puto, vlli pio cordatoque homini vnquam probare poteris. Alterum autẽ genus, quod ad mores corruptamque disciplinam ptinet, quodque tu, cum pateat in multis, ita coniungis cum isto, vt fidẽ ex altero in alterum compares: hoc inquam genus, etsi turpe flagitiosumque est, præsertim in clericis, tamen sicut re ipsa diuersum est ab altero, ita toleratur (si tamen vitia vlla toleranda sunt) minori periculo ecclesię, quæ qdem offendi nequitia clericorum potest, amittere hoc ipso doctrinam fidei, ac de summa religionis periclitari nõ potest. At per falsa hæreticorum dogmata multi seducti sunt de via, multi in impietatẽ prolapsi, omnes qui partes illorum secuti sunt, portum vnitatis ecclesiasticæ cum iactura salutis amiserunt. Hæc tamen vtinam (vt dixi) corrigi possint, neque hæc sola, sed illa etiam, quæ ex istis in ecclesiam di- Separantur genera criminum

manarunt iam multis temporibus, causamque his malis præbuerunt, offendendo eos, qui non satis firmi, subuerti facilius alienis peccatis, quam propria virtute stare potuerunt. Sed qualiacunq; sint ista Buccere, non exuunt ministerio sacerdotem, neq; episcopum gradu deijciunt, sed subijciunt disciplinæ, & correctionis seueritati committunt. Alioqui quem certum ministrum haberet communio fidelium? cuius fidem sequeretur in doctrina? cuius in publicis precibus, in oblatione sacrificij, in dispensandis sacramentis, officio certo vteretur? In vestris quæso ecclesijs, quas ad amussim euangelicam institutas videri vultis, nihil huiusmodi vitiorum sentitis vos? nullam auaritiam vestrorum clericorum, nullum ocium ac luxum, nulla adulteria, nullas libidines? nullam deniq; ambitionem vanæq; gloriæ cupiditatem deprehenditis? Valde mirabor, si affirmare audebis, præsertim

Pag.259 cum ipse queraris in libro tuo, nondum iustam corporis Christi societatem apud vos esse, multam adhuc inter ministros vestros esse infirmitatem. Quod si in primordijs ipsis languescit vobis fructus euangelicæ instaurationis, quid futurum esse putas? vbi studia ista, quæ adhuc feruent, refrixerint? Cur igitur tam iniquus es in nostros? vt si Eccius fortasse cum muliercula commoretur, ha-

beatur

beatur indignus sacerdotio, si idem Buccerus, aut alius quispiam Lutheranæ professionis faciat, non modo non reprehendatur a quoquam, sed etiam vt pulchrum honestumq; laudetur. Nisi forte interesse hic putas, vxorem habeat is, quem votum ac leges cœlibem esse iubent: an contra easdem leges concubinam? Mea quidem sententia vxoris vinculum honestum expetẽdumq; est. At crimen licentiæ atque libidinis nullo vnquam tempore a flagitio recte vindicatur. Non sunt igitur non episcopi Buccere, quos tu his vitijs oneras, neque non munere suo vere funguntur in ecclesia, quibus tu propter nequitiæ labem, impietatis crimen imponis. Nisi forte Hieronymus, quem hic contra me citas, in alia sententia fuit, nec malos ministros in ecclesia pro ministris habuit. Quid igitur scribit? Negat omnes episcopos esse episcopos. Sed vide, officio ne intelligat: an loco & ordinis dignitate? Certe ipse exempla addit. Attendis Petrum, inquit, sed & Iudam considera. Stephanum suspicis, sed Nicolaum respice. Et exclamat, Non facit ecclesiastica dignitas Christianum. Hæc tu verba pro te valere putas? Negat Hieronymus, Omnes episcopos, officio & meritis esse episcopos, bonos scilicet a malis distinguens. Quis hoc non fatetur? Petrus princeps fuit apostolorum, Iudas proditor, &

Episcopi mali, sunt etiam episcopi.

Pag. 194

Hieronymus in epist. ad Euagrium.

tamen vterque inter apostolos numeratus: alioqui quid opus erat eligere alium in locum suspensi, nisi vt numerus compleretur? Cur episcopatum eius in alterum trāslatum iri multo ante Propheta prædixerat? Petrus autem, vt ita fieret, monebat? cur omnibus in locis euangelij vsque ad proditionem magistri in numerum computabatur? At diabolus appellauit eum Christus? Nam
Pag.194 in fine. hoc quoque opponis mihi, & quæris, vtrum censeam sequendum esse, & loquendo & sentiendo. Ego vero Buccere loquor & sentio cum Petro, cum propheta, cum euangelista, atque adeo cum Christo ipso. Tu cur & loquendo & sentiendo ab illis dissentis? Protuli testimonia. refelle si potes. Sed quid poteris contra lucem, contra solem ipsum manifestæ veritatis? Christus appellauit Iudam diabolum. Sed & Petrum Satanam. Vtrum putas leuius esse, vel loquendo vel sentiendo? Ita ne tibi illudere veritati arbitratu tuo visum est? vt quæ velis tu, recte probeque dicta sint? quæ nolis, absurde, imperite, impie ab aduersario queraare prolata? Sed ad rem. Officia siue merita personarum faciunt, vt alios vere appellemus episcopos, alios autem qui eodem loco & ordine prædi ti, non faciunt officium suum, ne nomine quidem dignos censeamus. quomodo sane Hieronymus

hic sensit, quod exempla clare ostendunt. Iudas enim etsi apostolus erat in eadem vocatione, qua Petrus, tamen cum proditor esset, ne nomine quidem dignus erat. Sic Nicolaus hæresiarcha, vnus ex septem diaconis, quos apostoli ordinauerant, homo impius nec dignus ecclesiastico ordine, in eadem tamen vocatione erat, qua Stephanus, ab apostolis ipsis electus. Qualescunque igitur Buccere sint episcopi, modo legitime in ordinem venerint, maneantq; intra complexũ ecclesiasticæ communionis, dico episcopos esse, verosq; ministros ecclesiæ, nec tántum sacramentorum & oblatiõis, sed etiam verbi habere potestatem.

Nec obstat tua obiectio, quod spiritus sanctus non habitet in cordibus impiorum. Primum enĩ, vt dixi, negantur esse impij, quos tu huius criminis condemnas. Deinde etiam si sint (modo permaneant in ecclesia) & seruiant Antichristo, aduersenturque veritati euangelicæ, id quod tu quanuis obijcias acriter, tamen nondum vlla ex parte ꝓbasti, dona tamen spiritus sancti, quæ ad intellectum interpretationemque scripturæ pertinent, minime a se excludunt. Aliter enim spiritus sanctus habitat in nobis, aliter dona sua etiam pessimo cuique largitur. Habitat in nobis per charitatem & dilectionem, qua cum deo vnimur, & ipse

Spiritus sancti dona etiã malis contingũt.

 viciſsim

viciſſim manet in nobis, ſicut & nos in illo maneamus, quemadmodum Ioannes in epiſtola teſtatur. Dona autem ſua largitur, quibus vult, & quantum vult, & quando vult, non ſecundum merita noſtra, ſed ſecundum voluntatem ſuam, cuius nemo, niſi quia optimus, iuſtiſſimus ſapientiſſimusq́ eſt, rationem reddere poteſt. Hæc ita eſſe non ſolum tradit Auguſtinus, ſed etiam ſcripturis & exemplis confirmat. Ita em̃ ſcribit ad Simplicianum de Saule inter prophetas, cum Dauid ab illo ad cædem quæreretur, Hic nimirum occurrit illud, inquit, quod apoſtolus Paulus apertiſſime exponit, ſupereminentem viam demõſtrans, *Si linguis hominum loquar, inquit, & angelorum, charitatem autem nõ habeam, factus ſum velut æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & ſciuero omnia ſacramenta, & omnem ſcientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* & quæ ſequuntur. Deinde addit, Quo in loco manifeſtum eſt, eum munera illa commemoraſſe, quæ ſpiritus ſancti diuiſionibus dantur, ſicut ſuperius dicit, Vnicuiq́ autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij autem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri autem fides in eodem ſpiritu,

Ad Simplicianũ quæſt. 2.

ritu, & cætera. Omnia autem hæc operatur vnus atq; idem spiritus, inquit, diuidens singulis, prout vult. Satis ergo apparet, inter dona spiritus sancti esse prophetiam, quam tamen si quis habeat, inquit, & charitatem non habeat, nihil est. Ex quo intelligitur, fieri posse, vt quidam etiam indigni vita æterna regnoq; cœlorum, inquit, aspergantur tamen quibusdam spiritus sancti muneribus, nõ habentes charitatem, sine qua illa munera non nihil sunt, sed nihil eis prosunt. Et aliquanto post, Nec verba illa parum attestantur huic sententiæ, quæ in euangelio scripta sunt, Multos dicturos in illa die, Domine domine, in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Quem eundem ego locum Buccere, cum in eandem sententiam sicut de Iuda & Caiapha, alijsque malis sacerdotibus, citarim in epistola mea, quid tu respondes mihi? Referre quidem, quo nomine quis quid faciat, id quod ego allegaueram, tamen multo magis referre, quid quis faciat, tum qualis etiam sit is, qui facit. Quasi vero ista negauerim ego, aut nunc etiam negem: aut omnino ad quæstionem nostram pertineant. Non mihi de qualitate personarum, nec de genere rerum quæstio erat tecum, sed de ordine ac prærogatiua ministrorum in statuenda administrandaq; doctrina, hæretico- Pag. 195

rumq; erroribus condemnandis, quoties nomine vniuersæ ecclesiæ conuenissent. At tu hinc dilapsus, de rerum delectu respondes mihi, recipienda sint, nec ne, quæ traduntur nobis, & interpretantur ab episcopis: Cum ego quæsierim, audiendi ne sint præ cæteris, qui doctores & pastores in ecclesia constituti sunt. Sed tamen de hoc ipso quid respondes mihi? Ecquid valere putas episcoporum authoritatem, vbi de doctrina agitur? Ordinem

Pag. 195 hunc ais deum esse voluisse in ecclesia, sed ita, vt si mali etiam ministri verba pura adferant, hoc est, doctrinam puram ex scriptura, secundum tuam interpretationem, ea excipiamus pie pureque. Agnoscis verba tua, Fateris igitur ordinem episcoporum instituto diuino esse in ecclesia, nec ordinem tantum, sed etiam officij potestatem, nulla habita qualitatis personarum aut meritorum ratione, vt si mali etiam ministri verba pura adferant, hoc est, doctrinam puram, inquis, ex scriptura, ea excipiamus pie pureque. Sed cur addis, pura? item, pie pureque? neque hoc tantum in loco, sed vbicunque fere scripturæ mentionem facis? Hæc certe arguunt te non simpliciter fateri, sed sub cautione aliqua delitescere. Quid? an non sæpe iam dixi, te omnia ad scripturam reuocare? in hac latebras perfugij, angulos tergiuersatio-

Pie pureq; cautiunculæ Buccera næ.

ſationis quærere? Cur enim addis iſta? niſi vt ſi dixero, diuos rogandos eſſe, ſcripturamque citauero, non audias me, quia impurus ſim tua ſententia. Sin idololatriam tollendam de templis, atque etiam imagines diuorum de parietibus eradendas eſſe. O me euangelicum. iam enim non ſolum dignus, qui exaudiar ab omnibus, ſed etiam qui de publico alar. Sed redeo ad Auguſtinum. Is demonſtrat impios etiam dona ſpiritus ſancti habere poſſe, præſertim prophetiæ, ſcientiæ, interpretationis, & ſimilium, excepto dono charitatis, quod maximum omnium eſt, Paulo teſte, nec niſi pijs contingit, his ſcilicet Bucere, de quibus Propheta a me citatus loquitur, Eſa. 66.
Ad quem autem reſpiciam, inquit, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Quales certe Auguſtinus eodem in loco hæreticos fuiſſe negat, ſuperbos appellans, qui negabant hæc dona dei malis contingere poſſe. Exemplũ, inquit, huius Saul reſiſtit ſuperbis nonnullis hæreticis, qui vel aliquid boni negãt de ſpiritus ſancti muneribus poſſe dari eis, qui ad ſanctorum ſortes non pertinent. Ergo ſuperbi erant illi, non demiſſi ſpiritu, neque ſermonum dei trementes, ſed efferentes ſeſe, quaſi ſpiritum

dei

dei ipsi haberent, aliosq; tanquam impios criminando insectabantur, quorum vicem dolere potius, vitiaq; si qua essent, emendare debebant. Tu vero cur insectaris, cur oppugnas papistas? cur ventres, idololatras, Antichristi ministros appellas, omnium certe odia in nomen ordinemq; illorum accendens? An hæc sunt indicia mansueti pectoris? trementis sermones dei? nihil sibi arrogantis? Quæ certe dum adimis aduersarijs, tibi arroges necesse est. alioqui frustra oppugnares illos, qui, quod in te ipsum recideret, summæ vituperationis loco in illos conferres. Cur hos igitur condemnas? qui si donum charitatis forte omnes non habent, nec continentiæ, nec aliorum charismatum, de qbus nec nos fortasse magnopere gloriari possumus: at vim facultatemque munerum ecclesiasticorum, quæ non tam illis, quam ecclesiæ coelitus data est, vita eorum corrupta deformat fortasse, tollere certe atque extinguere non potest: vt si te alia nulla nisi hæc causa in hanc opiniōem impellit, vt credas papisticos sacerdotes, quia flagitiose viuant, idcirco neque intelligere scripturas, neq; vera piaq; docere in ecclesia, videndum tibi sit, ne cum eos, qui hodie tenent ecclesiam, hac sententia tua abrogaueris, alios qui rectius ista præstent, minime inuenire possis. Quę igitur ratio est,

vt hunc mutare clerum, peiorem fortasse experiri velis? An vero sortem ministerij papistæ non acceperunt a domino? an ad hunc ordinem ex instituto dei vocati non sunt? Quis igitur sacerdotem primum instituit in ecclesia? quis illi docendi munus commisit? hāc tantam tamq; inauditam potestatem, a primis scilicet in posteros descensuram, contulit? Euntes docete, inquit, omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Et, Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum tenueritis, tenebuntur eis in cœlis. Quæ quidem institutio Buccere per inuocationem eiusdem spiritus adhuc hodie manet in ecclesia. Nec manet tantum, sed etiam non rata esse ad salutem nostram non potest. Vbi enim duo vel tres, inquit, in nomine meo conuenerint, ego cum eis sum. Hic non duo, nec plures conueniunt, sed tota ecclesia, cuius negocium agitur. Illa enim ipsa adest ordinandi officio, ipsa dominum inuocat, ministrum instituit, secura periculi, bonus ille, an malus futurus sit, dummodo ex instituto diuinæ authoritatis res agatur. Etenim duodecim ipse elegerat dominus: & tamen vnus ex illis præuaricator fuit. Ipsi apostoli septem elegerant diaconos, ex his vnus, nō impietate modo hæretica, sed etiam vita (vt traditur) execrabilis

Potestas ministrorum a deo.

lis euasit. Quid facies hodiernæ ecclesiæ? possunt ne prouideri cauerique omnia? & quisquam se diuinorum consiliorum arbitrum moderatoremque constituet? præsertim cum malos etiam ministros sæpe mereantur peccata nostra. Ecclesia optat quidem, ac studet sedulo, bonos habere ministros in officio. Sed si minus assequitur, quomodo corriget factum suum? cuius DEVS author, homo deprauator extitit? nisi vt ratam habeat diuinam authoritatem, hominem peccatorem subijciat disciplinæ, qui si emendetur, lucrifaciat ministri animam, sin minus, culpa illi perditionis tota imputetur. Hæc cum ita sint, cur tu potestatem officij, ordinem & authoritatem ministro detrahis? quem penes illa DEVS esse voluit? An in cæteris partibus rata erit illius functio? in doctrinæ ministerio, quod maximum, ac pene etiam solum per te est, ecclesia incerta relinquetur? Docere, baptizare, offerre, munera sunt sacerdotij, in quibus, docere, primum est, de quo hic proprie quæritur. Hoc tu, cum cætera (vt opinor) concedas sacerdoti papistico, vnum adimis, relegans ad scripturam populum, puram illam scilicet, defæcatamque tuo arbitrio, vt inde potius hauriat, quantum & quale ipsi visum fuerit, quam sacerdotis partes vllas expe-

ctet.

ctet. Nisi forte & cætera adimis, ac ne baptizandi quidem illi, offerendique munus relinquis. Quod si ita est, nullum certe totis nongentis annis sacerdotium verum fuit in ecclesia, nulla vera salubrisque doctrina, nulla administratio sacramentorum, nulla oblatio, eritque iusta Donatistarum insania in hac ipsa quæstione olim excitata contra ministros ecclesiæ, quam tu nunc resuscitas, contra te autem refutauit Augustinus multis grauissimis scriptis, quæ tibi ignota non sunt, totaque ecclesia catholica ab illis temporibus in hanc vsque diem vnanimi perpetuaque sententia comprobauit. Etenim sacrificia impiorum non obsunt ecclesiæ, inquit, sed ijs ipsis, qui offerunt impie. Nam vnum atque idem sacrificium propter nomen domini, quod inuocatur, & semper factum est, inquit, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. Ambrosius autem, Cum tibi scriptura testetur, quod ad preces Hierobaal ignis descenderit de cœlo, & rursus precante Helia ignis missus est, qui sacrificium consecrauit, non merita personarum, inquit, consideres, sed officia sacerdotum. Et mox eodem in loco, Crede ergo adesse dominum IESVM inuocatum precibus sacerdotum, qui ait, Vbi fuerint duo vel tres in nomine

Bonorum & malorum sacerdotũ par potestas.

Aug. cõtra epistol. Parmeniani lib. 2. cap. 6.

Ambr. de his, qui initiantur mysteriis, cap. 5.

 meo,

meo, ibi & ego ſum. Quanto magis vbi eſt eccleſia, vbi myſteria ſua ſunt, ibi dignatur impertire ſuam præſentiam? Sed & Cyprianus, ducentis ante hos annis, negat hoc priuilegium datum eſſe meritis perſonarum; ſed omnipotentiam dei ſibi hunc effectum retinere. Quæ cum vera ſint, nec grauiora teſtimonia citari poſſint, non negabis opinor, parem in officio bonorum malorumque poteſtatem eſſe; nec dari tantum ſacramenta a malis ſacerdotibus, ſed etiam ſanctificari. Cur igitur eandem poteſtatem in doctrina eſſe non ſinis? præſertim cum ſacerdotibus eandem dominus pariter commiſerit. Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare, quæcunque mandaui vobis. Vbi doctrinam certe vides cum baptiſmo coniunctam eſſe. Niſi forte ſanctius eſt docere in eccleſia, quam baptizare, quam ſacrificium offerre domino pro peccatis populi; quam tenere peccata hominum vel dimittere: cumque hæc fieri per malos etiam miniſtros, & fateatur præſens, & ſemper confeſſa ſit tota catholica eccleſia, cur tu docendi munus, quod a cæteris minime ſeiunctum eſt, non niſi a pijs ſanctisque miniſtris præſtari poſſe contendis? Paulus prophetam doctori anteponit, dum chariſmata ita enumerat, Quoſdam;

Cypria. de baptiſmo Chriſti, & manifeſt. trinitat.

dam, inquit, posuit deus in ecclesia, primum aposto los, secundo prophetas, tertio doctores, deinde vir tutes. Minus est igitur docere quam prophetare. At per impios homines prophetauit dominus, sicut de Balaam, Saule & Caiapha proditum est. per ministros igitur malos ecclesia doceri non poterit? Quae est haec absurditas? Quod maius est, poterunt ex dei voluntate impij etiam homines, idolorumq; cultores: quod est minus, sacerdotes dei non poterunt? sacerdotes etiam pessimi fortasse, atq; (vt tu vis) sacrilegi, sed vocati ad hoc ipsum munus a domino, & ad hanc sortem ministerij a deo deputati. Quos igitur doctores certos habebit ecclesia? quos in ea Paulus a deo datos esse dixit. quos verae falsaeq; doctrinae iudices? assertores veritatis? erroris atq; impietatis condemnatores? si nemo recipietur, nisi quem pium sanctumq; esse constiterit? nemo, nisi in quo tu spiritum dei habitare, certum exploratumq; habebis?

Ad sequentē disputationem, de iudicio vulgari, via sternit.

Necq; ego tam amēs sum, vt vnius vel etiam plurium ignauorum arbitrio rei tantae potestatem committam, vt quicquid illi statuerint, id cōtinuo ratum esse oporteat, necq; ad aliorum (si id causa postulet) totiusq; ecclesiae iudicium referatur. In qua quidem sententia Buccere te, te inquam, esse video, qui omnium episcoporum in terris parem,

manarunt iam multis temporibus; causamque his malis præbuerunt, offendendo eos, qui non satis firmi, subuerti facilius alienis peccatis, quam propria virtute stare potuerunt. Sed qualiacunque sint ista Buccere, non exuunt ministerio sacerdotem, neque episcopum gradu dejiciunt, sed subjiciunt disciplinæ, & correctionis seueritati committunt. Alioqui quem certum ministrum haberet communio fidelium? cuius fidem sequeretur in doctrina? cuius in publicis precibus, in oblatione sacrificij, in dispensandis sacramentis, officio certo vteretur? In vestris quæso ecclesijs, quas ad amussim euangelicam institutas videri vultis, nihil huiusmodi vitiorum sentitis vos? nullam auaritiam vestrorum clericorum, nullum ocium ac luxum, nulla adulteria, nullas libidines? nullam denique ambitionem vanæque gloriæ cupiditatem deprehenditis? Valde mirabor, si affirmare audebis, præsertim
Pag. 259 cum ipse queraris in libro tuo, nondum iustam corporis Christi societatem apud vos esse, multam adhuc inter ministros vestros esse infirmitatem. Quod si in primordijs ipsis languescit vobis fructus euangelicæ instaurationis, quid futurum esse putas? vbi studia ista, quæ adhuc feruent, refrixerint? Cur igitur tam iniquus es in nostros? vt si Eccius fortasse cum muliercula commoretur, ha-

beatur

beatur indignus sacerdotio, si idem Buccerus, aut alius quispiam Lutheranæ professionis faciat, non modo non reprehendatur a quoquam, sed etiam vt pulchrum honestumque laudetur. Nisi forte interesse hic putas, vxorem habeat is, quem votum ac leges cœlibem esse iubent, an contra easdem leges concubinam? Mea quidem sententia vxoris vinculum honestum expetendumque est. At crimen licentiæ atque libidinis nullo vnquam tempore a flagitio recte vindicatur. Non sunt igitur non episcopi Buccere, quos tu his vitijs oneras, neque non munere suo vere funguntur in ecclesia, quibus tu propter nequitiæ labem, impietatis crimen imponis. Nisi forte Hieronymus, quem hic contra me citas, in alia sententia fuit, nec malos ministros in ecclesia pro ministris habuit. Quid igitur scribit? Negat omnes episcopos esse episcopos. Sed vide, officio ne intelligat, an loco & ordinis dignitate? Certe ipse exempla addit. Attendis Petrum, inquit, sed & Iudam considera. Stephanum suspicis, sed Nicolaum respice. Et exclamat, Non facit ecclesiastica dignitas Christianum. Hæc tu verba pro te valere putas? Negat Hieronymus, Omnes episcopos, officio & meritis esse episcopos, bonos scilicet a malis distinguens. Quis hoc non fatetur? Petrus princeps fuit apostolorum, Iudas proditor, &

[Margin: Episcopi mali, sunt etiam episcopi.]

[Margin: Pag. 194]

[Margin: Hieronymus in epist. ad Euagrium.]

 tamen

tamen vterque inter apostolos numeratus: alioqui quid opus erat eligere alium in locum suspensi, nisi vt numerus compleretur? Cur episcopatum eius in alterum trāslatum iri multo ante Propheta prædixerat? Petrus autem, vt ita fieret, monebat? cur omnibus in locis euangelij vsque ad proditionem magistri in numerum computabatur? At diabolus appellauit eum Christus? Nam

Pag.194 in fine. hoc quoque opponis mihi, & quæris, vtrum censeam sequendum esse, & loquendo & sentiendo. Ego vero Buccere loquor & sentio cum Petro, cum propheta, cum euangelista, atque adeo cum Christo ipso. Tu cur & loquendo & sentiendo ab illis dissentis? Protuli testimonia, refelle si potes. Sed quid poteris contra lucem, contra solem ipsum manifestæ veritatis? Christus appellauit Iudam diabolum. Sed & Petrum Satanam. Vtrum putas leuius esse, vel loquendo vel sentiendo? Itane tibi illudere veritati arbitratu tuo visum est? vt quæ velis tu, recte probeque dicta sint? quæ nolis, absurde, imperite, impie ab aduersario querare prolata? Sed ad rem. Officia siue merita personarum faciunt, vt alios vere appellemus episcopos, alios autem qui eodem loco & ordine prædi ti, non faciunt officium suum, ne nomine quidem dignos censeamus. quomodo sane Hieronymus hic

hic sensit, quod exempla clare ostendunt. Iudas enim etsi apostolus erat in eadem vocatione, qua Petrus, tamen cum proditor esset, ne nomine quidem dignus erat. Sic Nicolaus hæresiarcha, vnus ex septem diaconis, quos apostoli ordinauerant, homo impius nec dignus ecclesiastico ordine, in eadem tamen vocatione erat, qua Stephanus, ab apostolis ipsis electus. Qualescunque igitur Buccere sint episcopi, modo legitime in ordinem venerint, maneantq; intra complexũ ecclesiasticæ communionis, dico episcopos esse, verosq; ministros ecclesiæ, nec tantum sacramentorum & oblatiõis, sed etiam verbi habere potestatem.

Nec obstat tua obiectio, quod spiritus sanctus non habitet in cordibus impiorum. Primum eñ, vt dixi, negantur esse impij, quos tu huius criminis condemnas. Deinde etiam si sint (modo permaneant in ecclesia) & seruiant Antichristo, aduersenturque veritati euangelicæ, id quod tu quanuis obijcias acriter, tamen nondum vlla ex parte ꝓbasti, dona tamen spiritus sancti, quæ ad intellectum interpretationemque scripturæ pertinent, minime a se excludunt. Aliter enim spiritus sanctus habitat in nobis, aliter dona sua etiam pessimo cuique largitur. Habitat in nobis per charitatem & dilectionem, qua cum deo vnimur, & ipse

Spiritus sancti dona etiã malis contingũt.

vicissim manet in nobis, sicut & nos in illo manemus, quemadmodum Ioannes in epistola testatur. Dona autem sua largitur, quibus vult, & quantum vult, & quando vult, non secundum merita nostra, sed secundum voluntatem suam, cuius nemo, nisi quia optimus, iustissimus sapientissimusque est, rationem reddere potest. Hæc ita esse non solum tradit Augustinus, sed etiam scripturis & exemplis confirmat. Ita eñ scribit ad Simplicianum de Saule inter prophetas, cum Dauid ab illo ad cædem quæreretur, Hic nimirum occurrit illud, inquit, quod apostolus Paulus apertissime exponit, supereminentem viam demõstrans, Si linguis hominum loquar, inquit, & angelorum, charitatem autem nõ habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & sciuero omnia sacramenta, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. & quæ sequuntur. Deinde addit, Quo in loco manifestum est, eum munera illa commemorasse, quæ spiritus sancti diuisionibus dantur, sicut superius dicit, Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij autem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri autem fides in eodem spiritu,

Ad Simplicianũ quæst. 2.

ritu, & cætera. Omnia autem hæc operatur vnus atq; idem spiritus, inquit, diuidens singulis, prout vult. Satis ergo apparet, inter dona spiritus sancti esse prophetiam, quam tamen si quis habeat, inquit, & charitatem non habeat, nihil est. Ex quo intelligitur, fieri posse, vt quidam etiam indigni vita æterna regnoq; cœlorum, inquit, aspergantur tamen quibusdam spiritus sancti muneribus, nõ habentes charitatem, sine qua illa munera non nihil sunt, sed nihil eis prosunt. Et aliquanto post, Nec verba illa parum attestantur huic sententiæ, quæ in euangelio scripta sunt, Multos dicturos in illa die, Domine domine, in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Quem eundem ego locum Buccere, cum in eandem sententiam sicut de Iuda & Caiapha, aliisque malis sacerdotibus, citarim in epistola mea, quid tu respondes mihi? Referre quidem, quo nomine quis quid faciat, id quod ego allegaueram, tamen multo magis referre, quid quis faciat, tum qualis etiam sit is, qui facit. Quasi vero ista negauerim ego, aut nunc etiam negem: aut omnino ad quæstionem nostram pertineant. Non mihi de qualitate personarum, nec de genere rerum quæstio erat tecum, sed de ordine ac prærogatiua ministrorum in statuenda administrandaq; doctrina, hæretico- Pag. 195

rumq́; erroribus condemnandis, quoties nomine vniuersæ ecclesiæ conuenissent. At tu hinc dilapsus, de rerum delectu respondes mihi, recipienda sint, nec ne, quæ traduntur nobis, & interpretantur ab episcopis: Cum ego quęsierim, audiendi ne sint præ cæteris, qui doctores & pastores in ecclesia constituti sunt. Sed tamen de hoc ipso quid respondes mihi? Ecquid valere putas episcoporum authoritatem, vbi de doctrina agitur? Ordinem

Pag. 195 hunc ais deum esse voluisse in ecclesia, sed ita, vt si mali etiam ministri verba pura adferant, hoc est, doctrinam puram ex scriptura, secundum tuam interpretationem, ea excipiamus pie pureque. Agnoscis verba tua, Fateris igitur ordinem episcoporum instituto diuino esse in ecclesia, nec ordinem tantum, sed etiam officij potestatem, nulla habita qualitatis personarum aut meritorum ratione, vt si mali etiam ministri verba pura adferant, hoc est, doctrinam puram, inquis, ex scriptura, ea excipiamus pie pureque. Sed cur addis,

Pie pureq́; cautiunculæ Bucceranæ. pura? item, pie pureque? neque hoc tantum in loco, sed vbicunque fere scripturæ mentionem facis? Hæc certe arguunt te non simpliciter fateri, sed sub cautione aliqua delitescere. Quid? an non sæpe iam dixi, te omnia ad scripturam reuocare? in hac latebras perfugij, angulos tergiuersatio-

ſationis quærere? Cur enim addis iſta? niſi vt ſi dixero, diuos rogandos eſſe, ſcripturamque citauero, non audias me, quia impurus ſim tua ſententia. Sin idololatriam tollendam de templis, atque etiam imagines diuorum de parietibus eradendas eſſe. O me euangelicum. iam enim non ſolum dignus, qui exaudiar ab omnibus, ſed etiam qui de publico alar. Sed redeo ad Auguſtinum. Is demonſtrat impios etiam dona ſpiritus ſancti habere poſſe, præſertim prophetiæ, ſcientiæ, interpretationis, & ſimilium, excepto dono charitatis, quod maximum omnium eſt, Paulo teſte, nec niſi pijs contingit, his ſcilicet Bucere, de quibus Propheta a me citatus loquitur, Eſa. 66. Ad quem autem reſpiciam, inquit, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Quales certe Auguſtinus eodem in loco hæreticos fuiſſe negat, ſuperbos appellans, qui negabant hæc dona dei malis contingere poſſe. Exemplū, inquit, huius Saul reſiſtit ſuperbis nonnullis hæreticis, qui vel aliquid boni negāt de ſpiritus ſancti muneribus poſſe dari eis, qui ad ſanctorum ſortes non pertinent. Ergo ſuperbi erant illi, non demiſſi ſpiritu, neque ſermonum dei trementes, ſed efferentes ſeſe, quaſi ſpiritum

dei ipsi haberent, aliosq; tanquam impios criminando insectabantur, quorum vicem dolere potius, vitiaq; si qua essent, emendare debebant. Tu vero cur insectaris, cur oppugnas papistas? cur ventres, idololatras, Antichristi ministros appellas, omnium certe odia in nomen ordinemq; illorum accendens? An hæc sunt indicia mansueti pectoris? trementis sermonẽs dei? nihil sibi arrogantis? Quæ certe dum adimis aduersarijs, tibi arroges necesse est. alioqui frustra oppugnares illos, qui, quod in te ipsum recideret, summæ vituperationis loco in illos conferres. Cur hos igitur condemnas? qui si donum charitatis forte omnes non habent, nec continentiæ, nec aliorum charismatum, de qbus nec nos fortasse magnopere gloriari possumus: at vim facultatemque munerum ecclesiasticorum, quæ non tam illis, quam ecclesiæ cœlitus data est, vita eorum corrupta deformat fortasse, tollere certe atque extinguere non potest: vt si te alia nulla nisi hæc causa in hanc opiniõem impellit, vt credas papisticos sacerdotes, quia flagitiose viuant, idcirco neque intelligere scripturas, neq; vera piaq; docere in ecclesia, videndum tibi sit, ne cum eos, qui hodie tenent ecclesiam, hac sententia tua abrogaueris, alios qui rectius ista præstent, minime inuenire possis. Quę igitur ratio est,

vt hunc mutare clerum, peiorem fortaſſe experiri velis? An vero ſortem miniſterij papiſtæ non acceperunt a domino? an ad hunc ordinem ex inſtituto dei vocati non ſunt? Quis igitur ſacerdotem primum inſtituit in eccleſia? quis illi docendi munus commiſit? hãc tantam tamq́ inauditam poteſtatem, a primis ſcilicet in poſteros deſcenſuram, contulit? Euntes docete, inquit, omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Et, Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum tenueritis, tenebuntur eis in cœlis. Quæ quidem inſtitutio Buccere per inuocationem eiuſdem ſpiritus adhuc hodie manet in eccleſia. Nec manet tantum, ſed etiam non rata eſſe ad ſalutem noſtram non poteſt. Vbi enim duo vel tres, inquit, in nomine meo conuenerint, ego cum eis ſum. Hic non duo, nec plures conueniunt, ſed tota eccleſia, cuius negocium agitur. Illa enim ipſa adeſt ordinandi officio, ipſa dominum inuocat, miniſtrum inſtituit, ſecura periculi, bonus ille, an malus futurus ſit, dummodo ex inſtituto diuinæ authoritatis res agatur. Etenim duodecim ipſe elegerat dominus: & tamen vnus ex illis preuaricator fuit. Ipſi apoſtoli ſeptem elegerant diaconos, ex his vnus, nõ impietate modo hæretica, ſed etiam vita (vt traditur) execrabilis

Poteſtas miniſtrorum a deo.

lis euasit. Quid facies hodiernæ ecclesiæ? possunt ne prouideri cauerique omnia? & quisquam se diuinorum consiliorum arbitrum moderatoremque constituet? præsertim cum malos etiam ministros sæpe mereantur peccata nostra. Ecclesia optat quidem, ac studet sedulo, bonos habere ministros in officio. Sed si minus assequitur, quomodo corriget factum suum? cuius DEVS author, homo deprauator extitit? nisi vt ratam habeat diuinam authoritatem, hominem peccatorem subijciat disciplinæ, qui si emendetur, lucrifaciat ministri animam, sin minus, culpa illi perditionis tota imputetur. Hæc cum ita sint, cur tu potestatem officij, ordinem & authoritatem ministro detrahis? quem penes illa DEVS esse voluit? An in cæteris partibus rata erit illius functio? in doctrinæ ministerio, quod maximum, ac pene etiam solum per te est, ecclesia incerta relinquetur? Docere, baptizare, offerre, munera sunt sacerdotij, in quibus, docere, primum est, de quo hic proprie quæritur. Hoc tu, cum cætera (vt opinor) concedas sacerdoti papistico, vnum adimis, relegans ad scripturam populum, puram illam scilicet, defæcatamque tuo arbitrio, vt inde potius hauriat, quantum & quale ipsi visum fuerit, quam sacerdotis partes vllas expectet.

ctet. Nisi forte & cætera adimis, ac ne baptizandi quidem illi, offerendique munus relinquis. Quod si ita est, nullum certe totis nongentis annis sacerdotium verum fuit in ecclesia, nulla vera salubrisque doctrina, nulla administratio sacramentorum, nulla oblatio, eritque iusta Donatistarum insania in hac ipsa quæstione olim excitata contra ministros ecclesiæ, quam tu nunc resuscitas, contra te autem refutauit Augustinus multis grauissimis scriptis, quæ tibi ignota non sunt, totaque ecclesia catholica ab illis temporibus in hanc vsque diem vnanimi perpetuaque sententia comprobauit. Etenim sacrificia impiorum non obsunt ecclesiæ, inquit, sed ijs ipsis, qui offerunt impie. Nam vnum atque idem sacrificium propter nomen domini, quod inuocatur, & semper factum est, inquit, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit. Ambrosius autem, Cum tibi scriptura testetur, quod ad preces Hierobaal ignis descenderit de cœlo, & rursus precante Helia ignis missus est, qui sacrificium consecrauit, non merita personarum, inquit, consideres, sed officia sacerdotum. Et mox eodem in loco, Crede ergo adesse dominum IESVM inuocatum precibus sacerdotum, qui ait, Vbi fuerint duo vel tres in nomine

Bonorum & malorum sacerdotũ par potestas.

Aug. cõtra epistol. Parmeniani lib. 2. cap. 6.

Ambr. de his, qui initiantur mysteriis, cap. 5.

 meo,

meo, ibi & ego ſum. Quanto magis vbi eſt eccleſia, vbi myſteria ſua ſunt, ibi dignatur impertire ſuam præſentiam? Sed & Cyprianus, ducentis ante hos annis, negat hoc priuilegium datum eſſe meritis perſonarum; ſed omnipotentiam dei ſibi hunc effectum retinere. Quæ cum vera ſint, nec grauiora teſtimonia citari poſſint, non negabis opinor, parem in officio bonorum malorumque poteſtatem eſſe; nec dari tantum ſacramenta a malis ſacerdotibus, ſed etiam ſanctificari. Cur igitur eandem poteſtatem in doctrina eſſe non ſinis? præſertim cum ſacerdotibus eandem dominus pariter commiſerit. Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare, quæcunque mandaui vobis. Vbi doctrinam certe vides cum baptiſmo coniunctam eſſe. Niſi forte ſanctius eſt docere in eccleſia, quam baptizare, quam ſacrificium offerre domino pro peccatis populi; quam tenere peccata hominum vel dimittere: cumque hæc fieri per malos etiam miniſtros, & fateatur præſens, & ſemper confeſſa ſit tota catholica eccleſia, cur tu docendi munus, quod à cæteris minime ſeiunctum eſt, non niſi a pijs ſanctiſque miniſtris præſtari poſſe contendis? Paulus prophetam doctori anteponit, dum chariſmata ita enumerat, Quoſdam;

Cypria. de baptiſmo Chriſti, & manifeſt. trinitat.

dam, inquit, posuit deus in ecclesia, primum aposto los, secundo prophetas, tertio doctores, deinde vir tutes. Minus est igitur docere quam prophetare. At per impios homines prophetauit dominus, sicut de Balaam, Saule & Caiapha ꝓditum est. per ministros igitur malos ecclesia doceri non poterit? Quæ est hæc absurditas? Quod maius est, poterunt ex dei voluntate impij etiam homines, idolorumꝙ cultores: quod est minus, sacerdotes dei non poterunt? sacerdotes etiam pessimi fortasse, atꝙ (vt tu vis) sacrilegi, sed vocati ad hoc ipsum munus a domino; & ad hanc sortem ministerij a deo deputati. Quos igitur doctores certos habebit ecclesia? quos in ea Paulus a deo datos esse dixit. quos veræ falsæꝙ doctrinæ iudices? assertores veritatis? erroris atꝙ impietatis condemnatores? si nemo recipietur, nisi quem pium sanctumꝙ esse constiterit? nemo, nisi in quo tu spiritum dei habitare, certum exploratumꝙ habebis?

Necꝙ ego tam amēs sum, vt vnius vel etiam plurium ignauorum arbitrio rei tantæ potestatem committam, vt quicquid illi statuerint, id cōtinuo ratum esse oporteat, necꝙ ad aliorum (si id causa postulet) totiusꝙ ecclesiæ iudicium referatur. In qua quidem sententia Buccere te, te inquam, esse video, qui omnium episcoporum in terris parem, Ad sequentē disputationem, de iudicio vulgari, via sternit.

 non

Hic locus infra, de vnitate ecclesiæ tractabitur.

non modo ordinem & dignitatem, sed etiam iurisdictionem facis, vt quod quisque docuerit, statuerit, gesserit in ecclesia, eius alteri inquirendi, corrigendiue ius nullum sit, neue referatur alio, sed suo quisque iudicio, suæque authoritati relinquatur. Hoc est enim illud, quod tu inter cætera posuisti in libro tuo, Nullum episcopum ius recte habere in alios episcopos; sed omnem omnium potestatem parem esse. In quo quidem illud miror, cum in ecclesia concedas esse ordines, qui ab apostolis constituti, ad nos vsq; perducti sunt, cumque metropolitanos & patriarchas ipse anteponas cæteris episcopis, qua ratione & constantia omnium potestatem, non solum gradu ordinis ac dignitate, sed etiam disciplina & coertione parem facias? Sed quid episcopos commemorem? singulis etiam priuatis hominibus ius potestatemque parem tribuis, non dico legendi cognoscendiq; scripturas (quæ facultas nulli vnquam negata fuit) sed iudicandi etiam ex dei spiritu (vt tu diserte adiungis) maxime in his rebus, quæ ad salutem necessariæ sint, deque sententia earundem sine hæsitatione ita statuendi, vt nullam maioris iudicij authoritatem expectari sit necesse. Quæ est hæc imprudentia tua Buccere? quid aliud efficis hoc dogmate tuo, quam quod æquas summis infi

Pag. 172 itẽ 127.

Reprehẽditur assertio Bucceri de iudicandi facultate, õibus etiã idiotis attributa.

ma?

ma? omnemq; non modo authoritatem ordinis ecclesiastici, sed etiã disciplinę lumẽ atq; vigorem tollis de ecclesia? An vero hoc negari potest, hęc ita abs te posita scriptaq; esse cõtra me? Quin proferantur vba ipsa, tuaq; oratio (ne qd fingere videar) ante oculos statuat. Ita sane partiris propositionem confutationis tuæ, qua reprehendere paras meam de ratione vnitatis sententiam, quam ego tibi contra improbationem primatus vnius in ecclesia cathedræ opposueram. Quod vt planius faciam, inquis, quatuor mihi sunt demonstranda, Primum, CHRISTVM dominum reliquisse omnibus fidelibus & pijs priuatim, & cuique ecclesiæ pro se, supremum de religione iudicium, sed quod fiat ex ipsius spiritu, non ex proprijs cogitationibus, aut vlla humana persuasione. Alterum, oportere, vt quisq; suo iudicio relinquat. Tertiũ, id cum fit, nequaquam hoc ipso præberi causam vlli perturbationi aut incertitudini in religione. Quartũ, tam abesse vt fidem & religionẽ stabiliat, si supremum de religiõe iudicium committat vni homini, vt id etiam fidem magis & religionẽ Christi prrsus euertat. Nihil dissimulabo Buccere, primum cum hæc legerem, valde mirabar, tam absurda constitui abs te hoĩe docto ac theologo, qui non videres his rebus nõ solũ prorsus tolli vnitatem ecclesiæ, sed ne Pag. 15

tuam

tuam quidem ipsius doctrinam contra aduersarios consistere posse. Cum vero pergerem auidus etiam confirmationis tam nouæ doctrinæ, argumentaq; ipsa percurrerem, dij immortales quantum piguit me, non tui modo, qui tam friuolis vagisq; logis causam tantam, tamq; inopinatam tegeres, sed mei etiam ipsius, cui tantum temporis ac molestiæ in refutandis tam multis inanibusq; verbis sumendum esset. Quid igitur constituis? aut quomodo probas potius ea, quæ tam meditate ac distribute contra me proponis? Omnibus fidelibus permittis summum de religione iudicium, & cuiq; ecclesiæ pro se. Magnum & incredibile dictu est, tam sapiétes esse omnes, omnes fideles, inquam, ne mulierculis quidem ac pueris exceptis. Deinde quod, quæ adimis episcopis & clericis, nisi adferant pura scripturarum testimonia, ea ab omnibus istis non intelligi modo, sed etiam iudicari posse confidis: ex quibus infiniti tamẽ ne nomina quidem scripturarũ tenent, aut literas etiam vnquam didicerunt. Nam quod cuique ecclesiæ idem permittis, etsi periculosissimum est vnitati (id quod nemo nisi insanus negare potest) tamen minus absurdum est: eo quod non populum tantum singulæ habent ecclesiæ, in quo multi reperiũtur donis dei pręditi, sed clerus etiam cum episcopo, qui ex pro-

Locus Bucceri de iudicio vulgari, q̃d ille singulis etiam de plebe, in rebus ad salutem necessariis, summũ tribuit, reprehenditur.

fesso aut solent esse ad iudicãdum parati, aut si non sunt, certe merito sunt reprehendẽdi. Quid sequitur autem? Sed quod fiat ex ipsius spiritu, inquis, non ex humana persuasione. Hoc verò quorsum pertinet? aut cur addis illud, quod per se caput est quæstionis? quo explicato nihil opus sit authoritatem iudicandi in hoc vel in illo ordine quærere, sed quid sequendum sit, vltro intelligatur. Sed video quid agas: capi metuis in tam aperto loco. Itaque vitare angustias, elabendique exitum tibi patere voluisti. Quicquid idiota vel hæreticus iudicabit, si placuerit, spiritus dei erit, sin displicuerit, ad humanam persuasionem relegabis. Vbi erit igitur quæstionis explicatio? An vero hic omnibus iudicium deferetur? At spiritum dei non habent omnes. His igitur, qui ex spiritu iudicant. At hi non sunt certi semper in ecclesia, talesq; omnino quærimus: qui nisi loco & ordine suo inuenti fuerint, q̊modo omnibus summam authoritatem deferemus? Vides igitur quo nos inducas his tuis ambagibus? quas etiam si velis, ne ipse quidem explicare possis? Pudeat te ergo ludificationis in tam graui causa, de qua iam sæpe conquestus sum, quam si homines aliquando intelligere cœperint, quid aliud futurum putas, quam te ab omnibus, qui hactenus doctrinam tuam secuti sunt, desertum iri? Quę

ſequuntur ibidem, confirmant ſententiam tuam, nempe vt quiſq; relinquatur ſuo iudicio, id quod non modo periculoſiſſimum eſt paci eccleſiaſticę, ſed omnem prorſus conſenſionem eiuſdem vnitatemq; conuellit. Tertium & quartum ex prioribus inferuntur. ſed alterum abſurdum prudentiſſimus quiſq; iudicat, alterum falſum calumnioſumq; eſſe dico. Non enim vni homini ſummum de religione iudicium commiſi vnquam, neque hodie committo: ſed cum vni cathedræ primatum deferam in eccleſia, quo omnia recte & ordine ad vitanda ſchiſmata gubernentur, ſummã iudicandi authoritatem non niſi vniuerſæ eccleſiæ, hoc eſt, plenarijs eiuſdem concilijs, reſeruo. Sed quibus nam

Pag. 200 cum ſequentibus. argumẽtis probas hæc oĩa? Verbũ dei, inquis, prædicari iuſſum eſt oĩbus, tametſi non recipiatꝰ niſi ab electis & dignis. Ergo iudiciũ ad oẽs delatum eſſe certum eſt, idq; ſummũ, cum vt aliũde peterẽt cõſilium, nõ præceperit dñs, ſed relinqui iuſſerit eos, qui illud nõ reciperent, etiam puluere de pedibus apoſtolorꝫ excuſſo. Huc addis exempla, q̃bus deus propoſuerit vitam & mortem, itẽ benedictionem & maledictionem populo Iudaico, vt vtrũ vellent, eligerent. Iudicium igiẽ illis ſupremũ delatũ fuiſſe. Sed & Paulũ iuſſiſſe Corinthios iudicare de communicatione immolatorꝫ idolis, & de mulierꝫ ſilen

tio

tio ac velatione in ecclesia. Item, dñm tradidisse oĩbus ecclesiȷs soluendi & ligãdi potestatem. ergo & iudiciũ summũ tradidisse. Postremo addis illud, quo vel solo vinci necesse sit, Neminem q spũ dei non sit prædicus, posse quæ dei sint, capere, qualis sit animalis homo. Spũm autem non dari ab hoĩe vllo, sed a solo deo, & vbi velit, spirare. ergo nec queńq̃ hoĩem, quantumuis magna vel authoritate vel potestate in ecclesia polleat, vllum hoĩem ex se se de rebus religionis certum reddere posse. Hæc fere summa est confirmationis tuæ. In qua equidem miror te tam friuolis rem tantam conari asserere. Quod si, cum scriberes ista, in memoria habuisses ea, quæ a me supra ex Augustino citata sunt, quæque tu homo theologus tam exercitatus in his literis, minime ignorare potuisti: non ita confunderes omnia quæ diuersam inter se rationem habent, in expositione argumentationis tuæ, neque nullum discrimen, vel inter ingeniȷ nostri vires & dei munera, vel inter munera ipsa diuina faceres. Etenim ita proponis, Omnibus prædicatum fuit euangelium, vt qui vellent, reciperent illud, vel repudiarent, nulla consultatione alio relata. Quid tum postea? Ergo omnibus, inquis, fuit summum iudicium de religione commissum. Non dicam Buccere, quot in hoc vno

Excutiunt singula argumẽta aduersariȷ, & vitia ostẽduntur.

enthymemate ſint vitia, ſed duobus tamen demonſtratis contentus ero. Primũ vide obſecro, de quo iudicio proponas in argumẽtatione tua, nempe de eligendi ratione, quæ vel ſola opinione cõſtare poteſt: &, de quo loquatur quæſtio noſtra, nempe de eo, quod non tam ad noſtras, quam ad communes eccleſiæ cauſas pertinet, cumq; idipſum ſummum ſit, quanta circunſpectione munitum, quantis rerum facultatibus inſtructum eſſe oporteat. Hoc tu omnibus, qui recipiunt euangelium, aut conſtare poſſe, aut neceſſarium eſſe putas? Deinde illud ſpecta, vtrum iudicio noſtro (dum fidem verbumq; dei amplectimur) idipſum fiat, an potius dei beneficio? qui nõ fidei tantum, ſed aliorum etiam chariſmatum, vt ſapientiæ, intellectus, doctrinæ, interpretationis dona, non omnibus quidem, nec omnia ſingulis, ſed quibus vult duntaxat, & quantum vult, & alia ſine alijs largitur. Quæ cũ ita ſint, quid probas obſecro vel minimum eius, quod ſuſcepiſti? Nam aut concludis aliud, quam propoſuiſti, de iudicio: aut ſi hoc negas, falſum te propoſuiſſe negare non potes, qui eligendi opinionem, vel ne opinionem quidem humanam, ſed donum dei, quo fidem amplectimur, pro iudicio ſummo vſurpas, iudicio, inquam, ſtatuendi de religione in eccleſia, nec tam ſingulorum expediendi conſilia, quam

de-

de causis omnibus publicis priuatisq; in hac com munione decernendi. Similis error versatur in exemplis tuis. Quid enim eligendum obtulit dominus Israeli, quod ipse non suggessit? aut si suggessit, quod eligerent, idcirco ne summum iudicium toti us synagogæ singulis detulit? quod non tam proprijs singulorum, quam publicis priuatisque vniuersorum causis accommodatum esset? Paulus iussit Corinthios ipsos iudicare, ecquid conueniret, eos, qui per Christi communionem ab idololatria separati essent, cum idolorum cultoribus communicare. Magna puto mysteria, magnum negocium iudicandum detulit, propter quod videatur summum etiam de religione iudicium a verbi ministris, quos ipse instituerat, ad plebem transtulisse. Quis non miretur tam absurda tibi in mentem venire potuisse? Iam vero de clauium, ac proinde iudicandi potestate pari omnibus tradita, quis non videt in eo te non labi tantum, sed etiam cum priori sententia tua pugnare? Quibus enim dedit dominus hanc potestatem? certe solis apostolis, hoc est, sacerdotibus, quanuis adhuc septuaginta discipulos haberet. Ergo his omnibus vt parem soluendi & ligandi, ita & iudicandi potestatem traditam fuisse colligis. Non nego traditam fuisse. Sed si hoc verum est, cur tu iudicandi potestatem tri-

buis omnibus fidelibus? cur illud, quod solis apostolis, ac proinde episcopis in ecclesia datum esse fateris, transfers ad cunctos, non laicos modo, sed etiam idiotas? Nihil hic addo nec detraho sententiæ argumentatiõis tuæ, quam certe agnoscis, qua illud quidem efficere conaris contra me, quo effecto teipsum induas necesse est, fatearisq; non quibuslibet hominibus, sed episcopis duntaxat prælatisq; ecclesiæ, sicut ius clauium, ita iudicandi quoq; potestatem a domino commissam esse. Sed mitto inconstantiam rationis tuæ. Illud respõdeo tibi, nõ effici, vt si compar iudicandi potestas vna cũ clauium potestate sacerdotibus oĩbus tradita fuerit, idcirco summum q̊q; iudicium intelligatur omnibus & singulis traditũ fuisse, quod certe multum differt a priuato cuiusq; iudicio, quod ad singulorum officium pertinet: item a iure ipso cognoscendi ac statuendi, quod per potestatis verbum hic intelligitur, alioqui oporteret omnes etiam apostolorum successores pari sapientia ac iudicandi facultate præditos esse. Sed neq; hoc singuli agnouerunt apostoli datum sibi fuisse, neq; suggerebat eis spiritus, sed vt conuenirent vniuersi potius ad vnam cathedram (id quod Hierosolymis postea factum fuit) & si quid expedire videretur, non de singulorum, sed de communi sententia statueretur. Nihil

igitur probat ne hæc quidem argumentatio tua contra me, sed meam potius sententiam de episcoporum authoritate contra teipsum confirmat. Quod postremo autem loco tanquam firmissimum addis, de spiritu domini, qui solus nos doceat, quique etiam attrahat nos solus ad cognitionem veritatis, quis obsecro nescit? quis non fatetur iudicium de scripturis, atque adeo de tota religione donum dei esse, de quo supra diximus? nec tamen ita dispensari a domino, vt nullam ecclesiasticæ doctrinæ authoritatem esse velit, quam ipsam quoque tribuit episcopis ac sacerdotibus, vt illorum ministerio tanquam voce sua nobiscum agat. Hęc sunt argumenta tua Buccere, quibus tam grauem causam sustinere te posse confidis, quæ si reciperetur, sublata esset authoritas de ecclesia, sublatum ius ordinis ac disciplinæ, cunctaque in turbam certissimam summo discrimine deferrentur. Singulas non dico ecclesias, non episcopos prælatosque ecclesiarum, sed laicos atque idiotas, impuros multos prophanosque homines, hęreticos denique popularisque aurę captatores, summos sibi quenque facis de religione iudices, ita vt quod cuique visum sit, hoc statuat ex dei spiritu, securus iudicij melioris, sibique soli sapiens, nec sapiens tantum, sed etiam si intolerabiliter insaniat, tutus ab omni reprehensione atque immunis. Hanc tu fenestram si

semel

semel totam aperueris, si armaueris populum hac noua inauditaq; licentia, quantum mali, quam perditas inauditasq; sectas (quarum plus satis iampridem habuit Germania) in tota ecclesia excitabis? Nõ potest igitur probari, sed ne ferri quidem hæc doctrina tua, qua non restituis nobis religionem, sicut videri vis, sed mittis in discrimen vltimum, atque adeo funditus euertis. Quid restat igitur? nisi vt contra ostendatur illud, quod ex his, quæ a me hucusq; confirmata sunt, necessario efficitur, summum scilicet in ecclesia iudicium, non penes hunc vel illum, siue laicos siue certarum ecclesiarum ministros, sed penes vniuersum nomen ecclesiasticum esse, quod a spiritu sancto per ordinem hierarchicum regitur ex diuina institutione (sicut demonstratum est) quodq; in hac vnitate catholica per eundem ordinem, duce eodem spiritu, ad salutem omnium hucusq; propagatum ita retinetur, vt authoritati ministrorum omnes subiectos esse oporteat, quicunq; salui esse velint, decretisq; eorundem legitimis sine recusatione obtemperare.

Tertiũ caput, quanta penes quenq;, & vbi

Venio enim ad illud, quod in partitiõe mea tertium proposui, quæ nam scilicet, quantaque sit penes quenque, & vbi sit summa ecclesiæ authoritas. In quo sane hoc primum constituo (quod tamen ita certum confessumque est, vt nullam probatio-

nem

nem desideret) nullo vnquam tempore vniuersum nomen Christianum vnum in locum conuenisse, aut etiam conuenire potuisse, sed cunctas ab apostolis vsque synodos coactas fuisse ex episcopis duntaxat ministrisque ecclesiæ, ita vt in alijs plures, in alijs maximis etiam grauissimisque concilijs pauciores fuerint, quorum authoritas vniuersam ecclesiam repręsentarit. Huic addo, Vnam solam indiuisamque ecclesiam esse, quam catholicam appellamus, cuius qui respuat authoritatem, non posse intra vnitatem eius consistere, sed pro extraneo aduersarioque eiusdem habendum esse, secundum illud, Qui non est mecum, cõtra me est. Et, Qui non colligit mecum, dispergit. Nihil enim hic medium est, sed omnino aut ciuem ecclesiæ, aut hostem esse oportet. His constitutis, dico summam ecclesiæ authoritatem penes ordinem hierarchicum, hoc est, sacerdotes, episcopos, cæterosque ministros esse, nõ singulos quidem aut plures, sed vniuersos, vniuersitatemque ipsam repræsentantes, vt quicquid ab his legitime ad agendum de rebus ecclesiæ congregatis decretum statutũque fuerit, id teneatur ab omnibus, nec cuiquam intra vnitatem corporis Christi manenti, aut sentire contra, aut agere fas sit. Hęc non mea vnius Buccere, sed omnium catholicorum sententia est, ita apta veritati ac necessaria, vt

Ubi summa ecclesię authoritas

Ee tu,

tu, qui oppugnas miniſtros eccleſiæ, hanc tamen
prærogatiuam illis non tribuere non poſſis. Ita e=
nim ſcribis in libro tuo, & propemodum fateris
illud ipſum, quod ego contendere abs te paro, au=
thoritatem ſcilicet eccleſiæ eſſe penes miniſtros,
poteſtatem penes populum vniuerſum. Poteſtas
Pag. 157 eccleſiæ, inquis, quam dominus per homines in ec
cleſia ſua exerceri vult, penes populum Chriſti v=
niuerſum eſt, authoritas autem in ea adminiſtran=
da eſt penes miniſtros eccleſiæ, & hoc ea diſtribu=
tione & ratione, quam ſupra expoſui in loco de
communione eccleſiæ. Illo autem in loco, nempe
Pag. 153 paulo ante finem, ita ſcribis, Quarto confectum
& hoc eſt, eccleſiæ authoritatem merito eſſe pe=
nes miniſtros eccleſiæ pios maiorem quam apud
laicos, ampliorem item penes eos eccleſiarum mi=
niſtros, qui in ſcripturis ſunt amplius exercitati,
& ſpiritu opulentius præditi, grandiorem adhuc
penes piorum concilia, & celſiorem apud concilia
ſanctorum ampliora. Amat enim deus ſuas vo=
cationes & munera, & ornare ea ſolet ſingularibus
donis ad ædificationem eccleſiæ. amat item ſuo=
rum cœtus, & eſt in medio eorum, vt collata a ſe
in commune ſingulorum dona & ſpiritus ſui fa=
cultates, eccleſijs plus commodi adferatur. In his
Buccere illud accipio, quod fateris adminiſtran=
dæ

dæ ecclesiæ authoritatem penes ministros esse. Sed quod postea addis, pios, viderisq; malos atq; impios ab hac sorte excludere, hoc vero supra a me confutatum est, soleq; ipso clarius demonstratum, quantum hic aberres a vero, quantumq; a te dissentiat, non Augustinus modo, qui multis grauissimis verbis scripturam illius loci explicat, sed ipsa etiam scriptura, quæ per se ibidem clarissima est, a qua nemo potest sine piaculo grauissimaque impietatis nota dissentire. Illud vero, quod de potestate dicis, nō falsum modo, sed etiam absurdum est. Primum enim authoritas a potestate separari non debet, cui coniuncta est, neque extra eandem vim vllam habere intelligitur. Deinde, quia potestatem populo vniuerso, id est, ecclesiæ toti tribuis, & adimis clero, cuius ministerium tamen esse fateris, nec vides populo ad salutem, clero ad functionem datam esse. Dictum est enim Petro, non vniuerso populo, Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et apostolis om̃ibus, Accipite spiritum sanctum, quorum dimiseritis peccata, dimittentur eis, & cæ. Ministris igitur authoritatem nudam, populo vniuerso potestatem tribuis, noua sane in hac causa distributione, dirimēs ea, quæ separari nō possunt, cum potestatem sequatur authoritas, neque vbi hæc vera est, illa omnino nulla esse possit. Quod

Authoritas cū potestate coniuncta est.

autem ſimpliciter authoritatem nominas, nec ſummam addis, video te authoritatem quidem miniſtris eccleſiæ,ſed non ſummam concedere, in quo mihi tecum ſumma præcipuaq; controuerſia eſt, cum ego ſcripturæ primam, eccleſiæ ſecundum mentem ſcripturæ parem tribuam: tu vero contra,eccleſiæ nullam niſi ſecundum ſcripturam,minime parem tamen; ſcripturæ autem primam vniuerſamq; deferas. Quo ſane in loco eorum meminiſſe debes,quæ ſupra a me de conditione & intellectu ſcripturæ, deq; vitijs diſputationis tuæ ante oculos poſita ſunt. Nullus enim finis erit,neq; certi quicquam habebit eccleſia, ſi hoc ipſum, in quo tu caput conſtituis doctrinæ tuæ, recipiatur. Ita enim cenſes, non aliter decreta eccleſiæ rata eſſe oportere,quam ſi cum ſcriptura conſentiant. Nec tamen interim ſenſum vllum ſcripturæ niſi ex alia porro ſcriptura (vt iam ſæpe dictum eſt) recipis, vt cum in infinitum fiat progreſſio; nemo te aſſequi aut impedire poſſit. Contendis enim errare poſſe concilia, ſcripturam non poſſe,nullamq; tantam authoritatem eccleſiæ tribuis, quam non ipſe rurſus euertere queas, ſi velis. quæ ſane aperta eſt ludificatio. Aut em̃ nihil tribue eccleſiæ, aut quod tribuis,ratum eſſe ſine. Nego primum,errare poſſe concilia legitime coacta & habita, cum dux eorum

Cõcilia legitima errare

rum

rum & rector sit dei spiritus, sicut scriptura testatur, Vbi duo vel tres conuenerint in nomine meo, ego cum eis sum. Deinde etiam si errare possint, tamen nego tibi aut mihi fas esse inquirere in decreta ordinis hierarchici, vt quæ ab illo semel prouisa, iudicata, decretaq; sunt, nos in quæstionem reuocemus. Quid enim hic aliud dici salua disciplina, aut quid opponi potest? Tuum est parere authoritati ecclesiasticæ, sub qua salus omnium constituta est, non inquirere in concilia, non decretis consultisque patrum obtrectare, securus periculi dum manseris intra vnitatem catholicam, teque a corpore Christi minime segregaueris. De scriptura igitur & ecclesia ita statuo, in scriptura summam, in concilijs saluberrimam authoritatem esse. Itaq; minime errare eũ, ac ne posse quidem falli, qui scripturã ita amplectitur, vt sciat intellectum eius ab ecclesia petendum esse. Quod si neq; intellectum scripturæ secundum ecclesiam, neq; ecclesiæ authoritatem per se receperit, non video quid sequi possit, cum extra ecclesiam, neq; ratio salutis vlla, neq; veritatis inquisitio fructuosa existat. Nunc illud videndum est, qua constantia, cum vno in loco omibus, etiam idiotis, supremum iudicium non de scripturis tantum, sed etiam de omni religione ad salutem necessaria, deferas, alio in loco authoritatem

re non posse, nec si errent, ab inferioribus in ea inquirendum esse.

Scripturæ authoritas summa, ecclesiæ saluberrima.

Inconstãtia assertionũ Bucceri.

Vide

tatem tribuas ministris ecclesiæ, eandemque valere velis, non in episcopis modo ac synodis, sed etiam in priuatis hominibus, si docti ac pij sint, vt quo sanctior sit quisque aut doctior in ecclesia, eo maiorem fidem mereatur. Hoc si verũ est, si plus credendum est doctis quam rudibus, plus multis quam vni, plus concilijs maioribus quam minoribus, quomodo de rebus ad salutem necessarijs pariter iudicant omnes? quomodo suum cuiusque iudicium summum est? suæ quisq; sententiæ relinquendus? Nisi vero ex spiritu dei iudicant etiam idiotæ in ecclesia? docti & diserti non iudicant? Quid igitur dicere potes, quo minus fatearis vel hanc, vel illam sententiam tuam falsam esse? Etem̃ si cuiusq; iudicium est summũ, cur vllo in loco vel ordine abs te authoritas constituitur? quid enim proderit ecclesiæ? aut quæ vis authoritatis, quę vtilitas erit? Sin vero vtilem, imo etiã necessariam esse fateris, cur illud posuisti in oratione tua, quod falsum absurdumq; est? cur me in errorem inducere voluisti? Nisi vero eũdem spiritum esse ais, qui omnibus suggerat omnia, atq; idcirco authoritatis quidem discrimen esse in ecclesia, iudicandæ veritatis nullum esse, quoniam ex eodem spiritu iudicia fiant omnia, neq; non inter se conuenire possint. Primum vana esset authoritas, cui nullum

ius,

ius, nulla facultas commissa esset. Quanquam tu eandem in ministerio ecclesiastico constituis: quod dum facis, quomodo iudicandi vim ei detrahere potes? Vtrum non multa a ministris ecclesiæ ad vtilitatem eiusdem iudicanda statuendaque sunt? An vero hi soli non habent iudicandi spiritum, faber quilibet ac sutor in ecclesia habet? Deinde non nego per eundem spiritum iudicari omnia, sed inde effici, vt quilibet iudicare possit, minime concedo. Non enim quia per eundem spiritum omnibus iudicandum est, idcirco omnes iudicant, sed hi duntaxat, qui spiritum habent. Habere autem omnes nego. Qui aũt habeãt, manifestum est, in his præsertim, quæ ad iudicandi facultatem pertinẽt. Vnicuique enim, vt inquit Paulus, dat̃ manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij quidem sermo sapientię, alij sciẽtiæ, alij fides, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituũ, alij genera linguarum. Et paulo post, Quosdam posuit deus in ecclesia, primum apostolos, secũdo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes. Hos ego Buccere esse arbitror, q possint ac debeãt iudicare, nõ de scripturis tm̃, sed etiã de omni religione in ecclesia, q̃s nõ obscuros, sed manifestos esse dicit Paulus, certe ministros, hoc est, episcopos prelatosque ecclesiæ, non plebeios ꝓphanosque homines,

qui

qui fere abhorrent ab his studijs, quibus hæc dona dei contingere solent, sed eos, qui pollent ingenijs, qui literis doctrinaq; exculti præstant cæteris, locumq; authoritatis in ordine ecclesiastico tenent. Hos tu si negas, quia impij fortasse multi peruersiq; sint, his donis præditos esse, valde erras, id quod neq; alijs in locis scriptura ipsa, neq; hic Paulus dissimulat, dum separat inuicem hæc dei munera, aliaq; alijs dari admonens, tantum inter ea discrimen facit, vt in sequenti mox capite, solam charitatem valere ad salutem, cætera omnia nihil esse, hoc est, nihil ad salutem prodesse, affirmet. Iaceat igitur tua illa de communi iudicio sententia, quæ non solum authoritatem omnem tollit de ecclesia, sed etiam ꝓpter absurditatem nulla ratione sustineri potest.

Solius ecclesiæ in terris summa authoritas.

Sola ecclesia est, quam nos amplecti iubet dominus, quam audire in terris, cui omnes obedire, vel extra eandem esse præcipit. Si peccauerit in te frater tuus, inquit, neq; monitus destiterit, dic ecclesię: si hanc non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Quid hic certius dici potuit? Tu omnem turbam conuocandam esse censes, quoties corrigendus est frater? an illos potius, qui præsunt disciplinæ? quos iudices cæterorum non tantum ecclesia, sed etiam dominus ipse esse voluit? Quis igitur negare potest authoritatem summam eisdem

com-

commissam esse? vt qui illos contemnat, ne communione quidem dignus habeatur? Sed idem alio quoque in loco, nec minus clare a domino exprimitur. Super cathedram Mosi, inquit, sederunt scribae & pharisaei. omnia ergo quaecunque dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt. Quibus verbis & malos impiosque homines fatetur praeesse synagogae, & tamen parere eisdem, doctrinamque eorum audire iubet. Nisi forte qui tunc erant scribae & pharisaei in synagoga, non sunt hodie episcopi ac praelati in ecclesia. Aut quae Moses per spiritum dei in synagoga salubriter instituit, eadem CHRISTVS per eundem spiritum in ecclesiam non propagauit. Quid igitur hic habes, quod respondere possis? Dico his duabus scripturis authoritatem ministrorum constitui in ecclesia, authoritatem summam, inquam, cui parere necesse sit, quam qui contemnat, extra ecclesiam sit habendus. Tu vero vt authoritatem tribuas ordini hierarchico, summam tamen adimis, neque aliter vllam concedis, nisi quatenus amplectitur verum purumque sensum scripturae, quem tamen ratum esse non sinis, nisi tuo seruiat instituto: contra te facientem ducis longius, nulla interpretatione recepta, nisi quae per aliam scripturam (etiam si nulla

omnino extet) probari possit. Ego simpliciter dico, summam authoritatem esse penes ministros ecclesiæ, vniuersitatem repræsentantes, duce & comite scriptura, cuius in literis prima sit authoritas, quam qui legant citentque omnes, quicunque de religione disputant, nisi intellectum eius ab ecclesia petiuerint, certos ipsius esse non posse: ab ecclesia, inquam, non quam tu fingis, modo cœlestem quandam & quasi in aere pendentem, modo sine macula & ruga bonorum duntaxat piorumque matrem, quæ nunquam fuit in terris, neque futura est, sed quæ bonos pariter ac malos in hac vita complectitur. Notæ sunt enim parabolæ de piscibus, de palea & tritico, item de zizanijs in agro vsque ad messem tolerandis. Quæ si non satisfaciunt tibi, non video quid in apertissimis rebus satis tibi esse possit. Quæ causa igitur est, cur in concilijs maximis summam & irrefragabilem (vt vocant) ecclesiæ authoritatem esse neges? in quibus vniuersitas fidelium ex maiorum instituto, exemplo apostolorum, legibus ac moribus ecclesiæ, in vnitate catholica conuenit? in quibus non paucorum, sed omnium audiuntur sententiæ, quorum vt singuli suam, ita vniuersi vnam catholicamque ecclesiam, quæ spiritu dei nunquam destituitur, repræsentant? An quia non omnes pij

ac iusti sunt, qui sententias dicunt? At iusti interim ac pij fortasse multi. Quis enim iudicauerit? Cum puncto etiam temporis conuerti possit impius, & ex peruerso sanus fieri. Deinde planum iam factum est, Deum iniustis etiam atque impijs dona sua largiri. Quod si vsquam fieri credendum est, certe hoc in loco, & in hac causa minime dubitari conuenit, vbi omnium salus totiusque ecclesiæ negocium agitur. Prima igitur ac summa totius ecclesiæ authoritas est in concilijs œcumenicis, id est, vniuersalibus recte & ordine coactis, quæ ex cunctis orbis terrarum gentibus, quam late patet nomen Christianum, numero episcoporum, doctorumque hominum frequentia, maxima celeberrimaque esse solent. In quibus quæ statuuntur, ad omnes pertinent, nec de eis dubitare, aut cuiquam se excusare permittitur. Altera est synodorum prouincialium, in quibus plures ecclesiæ conueniunt, sed non vniuersitatis nomine: in quibus quæ statuuntur, non obligant nisi authores suos cũ subiectis ecclesijs, donec ab vniuersis comprobẽtur. Cuiusmodi fuit decretũ de lapsis Cypriani tẽporibus ex Aphricana synodo, q̃d ab vniuersa postea ecclesia receptũ, & ad om̃es propagatum fuit. Tertia & vltima episcoporꝫ est au-

Authoritatis gradus in ecclesia.

thoritas in sua cuiusq; ecclesia, quam tamen decretis canonicis subiectam esse oportet, alioqui vim nullam habet, ne aberrent ab vnitate catholica priuatæ ecclesiæ, neue sententiarum varietas in schismata abducat. In his omnibus illud obseruandum est, vt plus valeant clericorum quam laicorum sententiæ, plus doctorum, piorum, sanctorumq; hominum (vt tu quoque sentis) quam aliorum, minus paucorum quam plurium, si cætera sint paria. Etenim multa & in singulis, & in comparatione plurium spectanda sunt, ex quibus colligitur dignitas, quæ sedes ipsa ac fundamentum authoritatis est, quam quia ex multis varijsq; causis alij maiorem, alij minorem obtinẽt, fiunt etiam authoritatis gradus diuersi. Summa autem præstantissimaque in terris dignitas cum sit ecclesiæ propria, authoritatem quoque eiusdem summam esse conuenit, non solum ad veritatis fidem omnibus, qui illam matrem sponsamq; CHRISTI agnoscunt, sed etiam ad salutem. Etenim errare possum, &, quod grauissimum est, sciens etiam veritati resistere, nec tamen continuo intra ecclesiam manens, salutis spem amisero. At extra ecclesiam si, non dico errauero, sed diligens etiam veriq; tenax ero, si omnia quæ Paulus extra charitatem dona enumerat, habuero, charitatem autem, quæ vinculum est

vnitatis, non habuero, ac proinde seiunctus a fratribus extra domum dei habitauero, nulla iam fides, nulla veritas, nulla religio prodest mihi, sed hisce cunctis cum dotibus, quibus dominus ornatum me esse voluit, quia fructum earum ad charitatem non contuli, infœlix atque abiectus in gehennam mergar.

Sed scio quid dicas. & in hoc sane, qui vestras partes defendunt, summum præsidium sibi constituere solent. sed frustra. Negant veram ecclesiam esse penes papistas: quare nec authoritatem vllam penes eosdem esse posse. Ergo adulteram illam (vt video) meretricemque Babylonicam nobis assignatis: de qua loquitur scriptura in Apocalypsi: quam non CHRISTVS, sed bellua illa horribilis, septiceps, sponsam habet, quam vestri certe populo in tabulis spectandam proponunt, insidientem belluæ, ac triplici indutam corona, cum poculo, ne quid odij scilicet prætermittatur, non in clericorum modo ordinem, sed in ipsam etiam Petri cathedram, ex qua doctrina fidei quondam per apostolicam authoritatem pene in orbem terrarum propagata est. Sed quibus nam argumentis rem tantam persuadere conamini? Duabus sane: verbo puro, & recto sacramentorum vsu, quas proprias quasi notas veræ ecclesiæ facitis. Has au-

Vbi sit vera ecclesia, penes catholicos, an Lutheranos.

tem penes vos esse contenditis, quare nec abesse veram ecclesiam. Papisticam autem, quia his desti tuta sit, non esse veram CHRISTI, sed potius impiam Antichristi congregationem. Primum respondeo tibi, has notas quidem esse veræ ecclesiæ, sed non solas, quare nec finitionem eius absoluere. Quid enim si quis extra ecclesiam tueatur veritatem verbi? & sacramentis eo modo, quo tu vis, vtatur? eum ne continuo intra ecclesiam collocabis? qui reliquit fratrum communionem? qui se ab vnitate corporis dominici, extra quam nec verbi nec sacramentorum fructus vllus esse potest, separauit? Deinde illud vide, quomodo ex his duabus notis ecclesia certa reddi possit, quæ ipsæ per se incertæ sunt, neque in hac omni quæstione nostra vllum nisi ex authoritate ecclesiæ finem inuenire potuerunt. Aeque enim incertum est, quæ sit vera puraque doctrina, item quis verus sacramentorum vsus, atque illud, quod per hęc ipsa demonstrandum erat, nempe, vbi sit vera ecclesiæ possessio, quam vtrinque nobis vendicamus. Veruntamen si quæris, vnde hæc ipsa certa fieri possint, docui modo ac multis verbis demonstraui, non aliunde quam ex scripturis, sed scripturarum intellectum ab ecclesia petendum esse. Quæ cum ita sint, non tam ex ratione verbi ecclesia certa statuenda

tuenda

tuenda eſt,quam vera vis verbi hodie & ſacramen torum vſus ab eccleſia petendus. Non ſunt igitur hæc apta ad explicandam hanc quæſtionem,ſed illa potius, quæ vnitatem poſſeſſionis eccleſiaſticæ oſtendunt,inchoa am a prima origine,& in has il lasue partes perpetua ſucceſſione propagatam. Quanquam de verbo ſatis reſponſum eſt tibi,quę ſit illiuspuritas,quam tu requiris in doctrina,quæ & qualis interpretatio tua,vnde verus eiuſdem in tellectus petendus. De ſacramentis autem nullam maiorem inter nos cõtrouerſiam quam de eucharistia eſſe arbitror,vtrum ſub vna tantũ,an ſub du abus ſpeciebus diſpenſari debeat, de quo ipſo etiam ſatis diſputatum eſt a me,planumq; factũ,nõ temere abijciendam eſſe longiſſimi temporis cõſuetudinem,neq; rem tanti eſſe,vt ea cauſa eccleſia ſcindi debuerit, ſed vnitatẽ eius cunctis ſacramentaliũ rerꝫ detrimentis anteponendam fuiſſe.Quid reſtat igitur,niſi vt oñdam,nõ ex his notis,quas vos fruſtra ꝓponitis,ſed ex vnitate ipſa, quæ indiuidua eſt,eccleſiã a prima origine ſua, quam duo lumina apoſtolorum in vna principe cathedra conſtituerunt, perpetua præſcriptione ad nos eſſe propagatam. Etenim vna eſt eccleſia Buccere, ſemperque vna fuit & indiuidua, quæ bonos & malos, pios & impios complectitur, a quorum communione

Veram eccleſiæ poſſeſſionẽ ex ꝑpetua cõtinuatiõe vnitatis q̃rẽdã eſſe.

qui

qui recedit, extra ecclesiam est, neque vt non sit Christi aduersarius, omnisque diuini beneficij ad salutem expers, vlla ratione obtineri potest. Tu autem cur secessisti a communione nostra? cur vnitatem veteris ecclesiæ reliquisti? quæ a Petro vsque iactata quidem procellis multis, inque angustum coacta, integra tamen indiuisaque in hoc vsque tempus permansit? An vero hoc factum non est? Vtrum igitur mansisti in ecclesia? an ab eadem secessisti? Si mansisti: cur non communicas nobiscum? cur instituta patrum non seruas? imo cur vestri arcentur a nostris ecclesijs, & ne quasi contaminentur communione nostra, edictis prohibentur? Sin autem secessisti a nobis, qui a maioribus aut veram tenemus, aut confitendum est illos minime veram habuisse ecclesiam, quomodo in eandem te esse prædicas? veros possessores excludis? Aut cū fatearis malos semper esse permixtos bonis in ecclesia, qua constantia, si reliquisti malorum communionem, in eadem tamen, ac proinde cum malis ipsis, qui a bonis secerni non possunt nec debent, permāsisti? Nisi forte a malis, qui impij sunt, secessisti, mansisti cum his, qui quanuis mali sint, hoc est, homicidæ, adulteri, raptores, tamen non aduersantur verbo dei, nec Antichristo, hoc est, Romano pontifici, seruiunt. Ergo & mansisti (vt video)

Inducitur locus de cōmunione, & secessio Lutheranorū a veteri ecclesia reprehēditur.

Hoc fatetur Bucc. pag. 134. sed negat nisi cū veris membris Christi, hoc est, bonis & pijs, cōmunicandum esse, pag. 157. Porro delectū facit inter malos, clerū a populo se-

uideo) & pariter secessisti. Mansisti cum malis, sed non cum impijs, idololatras autem & Antichristi seruos fugisti. Mira secessio. Cur igitur non communicas cum eisdem, cum quibus mansisti? Nisi forte omnes idololatræ sunt, quicunque Romanum pontificem in ecclesia pro primate agnoscunt. Ergo ab omnibus secessisti, nec est vllum discrimen secessionis tuæ a communione papistica, sed oĩes pariter tibi impij atq; idololatræ sumus. Verum demus hoc tibi, hasq; angustias paulisper relaxemus. Liceat tibi secernere clerum a populo papistico, vt videaris in vna atque indiuisa ciuitate non a plebe, sed a patribus secessisse; quanuis reuera dum communicas cum nullo, ab omnibus te secessisse re ipsa confiteris. Primum nego tales esse, quales tu facis, quos potissimum fugere voluisse videri vis, oppressores euangelij, idolorum cultores, seruos Antichristi. Quomodo hoc mihi probabis? id quod supra etiam flagitaui abs te, quomodo probabis criminationes illas atrocissimas, quas tunc denique, postquam reliquisti illos, intendisti? ante tacuisti. Non auditur excommunicatus, nisi se restituat ecclesiæ, aduersario, inimico, hosti, nisi probet obiecta, non creditur. Quomodo igitur conuinces tam atrocium criminum tot episcopos, tot sacerdotes, tot pios præstantesq; homi-

cernēs, pa. 232. Resq; q; cõmunicandas distinguit, pag. 215. Pag. autē 205. & 208 totā cõmunionē cœlestē facit, auocans ab externis corporalibusq; reb. & ad solas spirirales adstrigēs. Itaq; variat hoc in loco, nec tm̃ secũ ipse dissidet, sed etiã cõtra scripturã de zizanijs sine delectu usq; ad messem tolerãdis, cõtraq; Augustinũ & oĩes orthodoxos patres manifestissime pugnat.

 nes,

nes, qui adhuc permanent in vnitate ecclesiastica? qui agnoscunt Petri, non pestilentiæ cathedram? qui eidem Petro hunc honorem habent, hanc adhuc authoritatem deferunt, vt successorem eius ꝓ primo episcopo, proq; summo pastore, hoc est, curatore gregis dominici, & venerentur in terris, & se curæ potestatiq; eiusdem secundum disciplinam a maioribus traditam committant? quomodo, inquam, conuinces hos omnes? quomodo probabis seruos diaboli & Antichristi esse? Deinde finge probari posse, id quod fieri posse ne ipse quidem sperare audes, quęro ex te, num si probari posset, illos omnes esse, non dico seruos Antichristi, sed diaboli filios, putares idcirco scindendam esse ecclesiam? vnitatemque corporis huius sacrosancti, cuius caput CHRISTVS est, violandam? Dominus iussit zizania vsque ad messem crescere, vt tunc denique separata a tritico mittãtur in ignem. Quid ita? Ne forte, inquit, colligentes zizania, eradicetis simul cũ eis & triticum. Quid hæc sibi verba volunt Buccere? Tu separationem malorum a bonis fieri vis ante messem? CHRISTVS prohibet: ne simul euellatur & triticum, ne boni scilicet per malos lędantur, ne perturbetur ecclesia, ne hęc vnitas, extra quam nemo saluus esse potest, scindatur. Quam multi secuti sint partes vestras, etiam

Zizania ad messem toleranda.

boni

boni ac pij, quam multi ſequantur quotidie, quos fortuna vel origo illic deprehendit, quam multi adhuc ſecuturi ſint, niſi conſulatur in medium, diſruptaq; vnitas aliquando ſarciatur, tu certe ſi non vides, optimus tamen atq; integerrimus quiſq; vt videt ante oculos, ita quæ cerni non poſſunt, facillime coniectura aſſequitur. Quid dicam de diſſidio animorum mutuoque partium odio? quod cum ſtudijs per ſe ardet, tum vero ita accenditur concionatorum improbitate, quorum pars maxima ex veſtris omni copia criminationum noſtros longe ſuperant, vt ſi nihil aliud mali haberet hæc diuiſio, tamen hæc vna res ferret ſatis ad interitum, mutuaque offenſio iniuriarumque acerbitas, quæ a Chriſtianis moribus inſtitutisque euangelicis alieniſſima eſſe debet, ſatis deplorari non poſſet. Hanc bonorum offenſionem Buccere vetabat dominus, horum cauſa relinqui impios ac ſceleratos in eccleſia vſque ad ſuum tempus voluit, ne ſcinderet̃ vnitas, ne totum corpus perturbaretur. Qui ergo tolli poſſunt commode, quorũ ſegregationem aut poſtulat criminum atrocitas intolerabilis, aut ipſi ſe factis ſuis eliminant, horũ dolenda quidem iactura, ſed tamẽ neceſſaria eſt. Tollantur igitur iſti, qui ferri non poſſunt, corrigatur

atque eijciatur impietas, nihil veto, imo iubeo etiam atque præcipio, ſed ita, vt ſeruetur tranquillitas, ne boni offendantur, ne violetur vnitas eccleſiaſtica, quæ nulla vtilitate in terris, nulla ratione reformandæ religionis compenſari poteſt. Nam

Pag. 205 quod negas communionem hanc in externis rebus poſitam eſſe, hoc eſt, locis, perſonis, externisq; actionibus, ex quo genere doctrinam fidei ſacramentorumq; vſum eſſe negari non poteſt: quodq;

Pag. 215 alio in loco eandem communionem ad dogmata & ritus, ſed non niſi a CHRISTO & apoſtolis inſtitutos, adſtringis, in hoc vero ſatis oſtendis te, aut miſcere cœleſtem illam triumphantemq; eccleſiam, quæ cum omnibus electis poſt hanc vitam futura eſt, cum hac terrena, quæ adhuc in carne Chriſto militat, de qua hic proprie quæſtio eſt. Aut ſi hoc negas, certe prodis maiori etiam vitio inconſtantiam tuam, qua quod detrahis communioni

Tollitur obiectio, & locus ex Oſæa & Cypriano in aduerſariũ conuertitur. Pag. 213

vno in loco, in alio rurſus ita aperte reddis, vt verbis demõſtrare fluctuatiõem tuam, longaq; oratione rem perſequi minime ſit neceſſe. Sed ſcio quid agas. Secernis clerum a populo, & opponis mihi locum ex epiſtola Cypriani, coniunctum cum Oſeæ prophetæ teſtimonio, non eſſe communicandum cum impijs ſacerdotibus, ſed ſacrificia eorum fugienda eſſe. Sacrificia eorum, inquit Oſeas, tanquam

panis.

panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur. Ad quos, oro te, pertinent ista? Lege quæ præcedunt. Reuersus est Effraim in Aegyptum, inquit, & in Assyrijs pollutum comedit. Non libabunt domino vinum, & non placebunt ei. De desertoribus loquitur Buccere, qui relicta synagoga, ac lege Mosi posthabita, ad idola se conuerterant. Hos dicit in Aegyptum, hoc est, ad maiorum suorum idololatriam, rediisse, quorum multi sub Pharaone seruientes, se eadem impietate polluerant. Hos tu cum nostris conferre audes? Cur non potius confers cum tuis sacerdotibus? Lege quæ sequunt, & vide in vtros sententia prophetæ magis conueniat? Quia panis eorum, inquit, animæ ipsorum: non intrabunt in domum domini. Quis est panis iste? quæ domus domini? Panis animæ ipsorum, inquit, hoc est, gulæ & voluptatis, quem offerebant Effraim & Iuda idolis, quo immolato vesci gaudebant, gaudentq; hodie ij, vt vereor, qui ex nouis doctrinis nomē apud populū, apud principes & ciuitates stipendia sibi quęrunt. Certe domum dei in terra sancta non intrauerunt hi tribules, qui relicta communione synagogæ idololatria se polluerant: cum vastatum esset templum domini a Babylonijs, propter peccata populi, atque igni deletum. Hanc autem donum Oseæ 6.

quã in hac causa intelligere possumus, nisi CHRI-STI ecclesiam? quam vos cum Iuda & Effraim reliquisse omnes catholici clamant: quam vestros etiam prohibetis ingredi, tantum abest, vt vos in eandem aliquando regredi cogitetis. Hæc dura tibi videtur interpretatio. Non est mea Buccere, sed Hieronymi, quam si ego dissimulare velim, tamen legunt omnes, nec ea, quæ proferuntur a me, non vera esse fateri non possunt. Lege enim ipse tu, & cogita, quam vtile fuerit tibi mouere hanc authoritatem contra me, quæ ita in te grauiter recidit, vt acrius vulnerari non possis. Non habitabunt, inquit Hieronymus, in terra domini, qui recesserunt ab ecclesia, & reuersi sunt mente in Aegyptum, & Assyriorum, id est, dæmonum comedent sacrificia, nec libant domino vinum. Et mox, Sacrificia hæreticorum, inquit, panis luctus est & lachrymarum: omnia enim, quæ faciunt, vertuntur in fletum. Persequere cætera, videbis hunc totum locum intelligi a Hieronymo, non de vllis sacerdotibus, qui manent in ecclesia, sed de ijs, qui recesserunt ab eadem, sicut Effraim, Israel & Iuda recesserant a veteri cultu legis Mosaicæ, & se idolis adiunxerant, quorum defectionem per singula prope verba & sententias ad desertores ecclesiæ accommodat. De Cy-
pria-

Exponitur locꝰ Cypriani ex epiſto. 4.

priano autem quid opus eſt verbis? Plebem reprehendit, quod in electionem duorum hæreſiarcharum, Baſilidis & Martialis, quos ipſe blaſphemos in DEVM & idololatriæ conuictos eſſe ſcribit, ſuffragio ſuo conſenſerat, quodque repoſuerat eoſdem in epiſcopatum, ex quo ante propter hæc ipſa crimina deiecti fuerant. Horum communionem damnat, neque horum tantum, ſed omnium, qui non ſecundum DEI voluntatem, ſed ſecundum humanam præſumptionem ordinantur in eccleſia. At qui ſunt hi? quæris. Nonne vel ex hoc ipſo Cypriani loco fateri cogeris, eos eſſe, qui ordinantur a priuatis ac ſeditioſis? qui non via canonica prouehuntur ad ſacros ordines, ſed vi intruduntur contra inſtituta eccleſiæ, ac proinde contra diuinam voluntatem. Deus em̄ has partes commiſit eccleſiæ, eiuſdemqꝫ ordinationem per inuocatiōem nominis ſui factam recipit, nec tamen vllam interim eccleſiam niſi vnicam & indiuiſam, nullamqꝫ ordinationem niſi intra eandem ipſam, agnoſcit. Quę ſi ita non ſunt, quis te certum reddet diuinæ volūtatis? quis ſuggeret, quem ordinari velit dominus? quem in tanta meritorum obſcuritate probet vel repudiet? Eccleſia certe ſola eſt, penes quam dn̄s hāc poteſtatem eſſe voluit, quę quęcunqꝫ ordinauerit, ſiue vtilē miniſterio,

ſiue

ſiue aduerſarium etiam hoſtemque futurum, ipſe ratum habere creditur, necꝫ aliter omnino fieri poteſt. Niſi te hic quoqꝫ ſingulorū iudicia delectant, aut putas turbæ ac rixæ, hoc eſt, ſtudijs multitudinis, rem tantam committendam eſſe. Nam hoc etiam queri te video, & velle, vt plebs maxime habeat poteſtatem eligendi dignos, vel indignos recuſandi. Quid hic ſentiat Pighius, nihil ad me, neque ſcire laboro. Illud, ſi quid mentis habes, tecum reputa, quid futurū ſit, ſi tam corrupto ſeculo, in tanta hominum improbitate atque licentia, ordinatio prælatorum committatur plebis arbitrio, præſertim in tanta amplitudine ſacerdotiorum atqꝫ opulentia. In prima eccleſia, fateor, multiſqꝫ poſt temporibus, non ſolum clerum, nec plebem ſolam, ſed totam eccleſiam elegiſſe epiſcopos, præſentibus vicinis epiſcopis, qui pariter ſuffragabantur, & quorum ſine dubio prærogatiua erat, ſicut ex hac ipſa Cypriani epiſtola intelligitur. Quæ res tamen, crede mihi, non ſine magnis neceſſarijſqꝫ cauſis mutata & in hanc formam, qua hodie vtimur, redacta fuit, quam a maioribus acceptam vna cum reliqua diſciplina, non abijcere continuo, ſed donec meliora dominus ſuggeſſerit (ſecundum Pauli ſententiam) retinere debemus. Hac igitur forma obſeruata qui electi ſunt Buccere, & iampridem vocati

Pag. 160 item 213.

ad ministerium, tu nulla habita criminum vel indignitatis cognitione, nulla via ac regula disciplinæ obseruata, non tantum deijciendos loco & gradu, sed etiam extra communionem habendos esse censes? Quæ est hæc barbaria? Cyprianum tu testem huius nimis popularis sententiæ facere audes? Perspice epistolam illam diligenter, & vide quid sentiat, quam causam agat, quos nominet, de quibus sacerdotibus, & de quo genere prælatorum loquatur. Laudat eos, qui reiectis duobus hæresiarchis, alios in locum eorum ordinauerant, negans cum talibus communicari oportere. Nominat Basilidem & Martialem, desertores Christianæ religionis, quorum blasphemiam & impietatem in eadem epistola commemorat. Cum prophanis & sacrilegis sacerdotibus vetat communicandum esse, quorum etiam sacrificia adhibito prophetæ testimonio damnat. Recognosce enim verba ipsius mecum, & attende quid dicat. Prolato enim prophetæ testimonio, addit, Docens & ostendens omnes omnino ad peccatum constringi, qui fuerint prophani & iniusti sacerdotis sacrificio cōtaminati. Et paulo post, Propter quod plebs, inquit, obsequens præceptis dominicis & deum metuens, a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, cū ipsa

Reditur ad Cyprianū, & sententia eius a proposito remouet.

Epist. 4.

Hh ma-

maxime habeat poteſtatem, vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi. Vides de qbus ſacerdotibus loquatur? quodque genus in hanc cauſam conueniat? nempe hæretici & blaſphemi, qui abnegauerant CHRISTVM, ſeque idololatriæ libellis profeſſos addixerant, quales erant Baſilides & Martialis. Quid enim aliud hæc verba ſonant? prophani & iniuſti ſacerdotis, item ſacrilegi? Eos enim, qui extra eccleſiam ſacerdotio fungebantur, ipſe non habebat pro ſacerdotibus, vſq; adeo, vt etiam baptizatos ab eiſdem rebaptizandos eſſe cēſeret, priuſquam in eccleſiam reciperentur. Hos igitur veris & aptis nominibus prophanos & iniuſtos, hoc eſt, nō veros, & ſacrilegos appellat. Alioqui ſi illos quantumuis malos, qui intra eccleſiam manebant, intelligeret, horumq; ſacrificia quaſi contagio ſa communicantibus, panemq; luctus eſſe diceret, fruſtra & inconſtanter alio in loco moneret, omnium ſacerdotum paria eſſe ſacrificia, neq; meliora a melioribus aut a peioribus fieri deteriora, Verborum, inquit, ſolennitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna apoſtolicis inſtitutionibus ſacerdotum myſterijs attributa, viſibile celebrant ſacramētum, rem vero ipſam ſpiritus ſanctus format & efficit, & conſecrationibus viſibilibus inuiſibiliter manum totius bonitatis author ap-

Cyp. in ſermone de baptiſm. Chriſti, & manifeſt. tri.

apponit,& plenitudinem gratiæ vnctionis diuinæ pinguedo sacrificationibus officialibus infundit,et rem sacramenti consummat & perficit. Si in Petri vel Pauli nomine,inquit,baptismi gratia donaret, posset alius alio videri sublimior,& secundum ministrorum merita hæc singularis gratia æstimari, vt melior esset baptismus eius, q sanctior videret, & indignior esset,q ab eo acciperet,quē non amplior cōmendatio æstimaret. Hæc & in alia sacramenta transferret iniuria,vt nō in eis vnitas, sed diuersitas haberetur,si censerentur a melioribus fieri meliora,& minus haberēt vtilitatis & ponderis, quæ fierent ab indignis. Sic eucharistia vna alia melior,& baptismus pro ministerio vel melior,vel deterior crederetur. Absit hoc a fide catholica, absit a religione Christiana tantæ corruptionis fermentum. Vna nobis fides,vnus dominus,vnum baptisma,& quæ sequuntur. His vbis Cyprianus,Bucaere,satis testatum relinqt,qd sentiat de malorum sacerdotū sacrificijs:ex q̊ loco illud etiā apparet, quæ sentētia eius fuerit de cōmunione, quā cōiunctam cū pphetæ testimonio citasti cōtra me. Oīa, si recte pspicis,ferūt in contrariā partē, auersaq; a me in te ipm recidūt:fitq; verum illud, q̊d re ipsa iādudū cognitū est, nullā adhuc fere Cypriani sententiā abs te prolatam esse contra me, quam nō verissime in te

conuerterim. Quam multa in hanc ipsam partem causæ ex Augustino contra te proferre possem, & ostendere, quanta is grauitate diluat, vel potius interpretetur, omnes huius loci scripturas, quas in eadem ipsa communicationis quæstione sicut tu hic contra me, ita Donatistæ (qui & ipsi secesserant ab ecclesia.) contra catholicos ad defendendam impietatem suam proferebant? Lege obsecro viri illius scripta, si non alia, saltem libri secundi contra Parmenianum, quibus non hoc tantum in loco fides sententiæ meæ adstruitur, sed illis etiam, quæ supra de omni ministerio sacerdotum a me disputata sunt, contraq; opinionem tuam confirmata, robur accommodatur: quæ sane tanta authoritate cõmunita sunt, vt nihil eis sine iniuria veritatis contradici possit. Sed satis de communione: in quam idcirco pluribus verbis digressus sum, vt responderem huic etiam loco disputationis tuę, ac simul illud ostenderem, deserta perturbataque communione ecclesiastica, deseri ac violari vnitatem, in qua vinculum compagesque corporis CHRISTI est: quę cum sola veram indubitatamque ecclesiæ possessionem contineat, extra eandem nullis quamlibet certis proprijsq; notis quęrendam esse. Vnum corpus & vnus spiritus sumus, inquit Paulus. Et, Vnus dominus, vna fides,

Cõtinuatur dis-

vnum

vnum baptiſma,vnus deus. Deum igitur principium vnitatis huius facimus, vnitatis, inquam, non numeri,ſed vniuerſitatis. Ab hoc porro per Chriſtum in eccleſiam propagata eſt,cuius cum author & caput ipſe ſit CHRISTVS,ab eodem apoſtolis primum,deinde ſucceſſoribus eorũdem ita cõmendata eſt, vt nulla re magis ipſe eandem quam mutua dilectione colendam eſſe præceperit. Hoc præceptum meum eſt,inquit,vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Et,Hoc mando vobis, vt diligatis inuicem. Et paulo poſt,orans pro tota eccleſia,Pater ſancte,inquit, ſerua eos in nomine tuo,quos dediſti mihi,vt ſint vnum,ſicut & nos. Et mox, Non pro eis autem rogo tantum, ſed pro eis etiam, qui credituri ſunt per verbum eorum in me,vt omnes vnum ſint,ſicut tu pater in me & ego in te,vt & ipſi in nobis vnum ſint. Ex quibus, multiſque alijs locis intelligitur, nihil magis neceſſarium eſſe eccleſiæ ad ſalutem, quam vnitatem, nihil neque ſtudioſius nobis commendatum eſſe a domino, neque per eundem a patre cœleſti ſæpius poſtulatum, quam vt iungeremur in vnum quaſi corpus ſocietatis euangelicæ, pacemque in vnitate eiuſdem per ſpiritum ſanctum,qui nunquam illam deſerit, mutuis charitatis officijs perpetuo coleremus. Quis igitur dubitat, quin omnia in eccleſia Chri-

putatio de vnitate eccleſiæ.

ſti, & in hac ipſa cauſa noſtra, ad vnitatem reuo=canda ſint? qua propoſita, non veram modo eccleſiam, ſed vſum etiam ſacramentorum rectum, verumque ac purum verbum domini inuenire poſſimus. Quæ cum ita ſint, cur tu vnitatem hanc ſcindis? cur ea ſtatuis in doctrina tua, quibus receptis, nullo modo tranquillitas, nedum vnitas in eccleſia retineri poſſit? Omibus, etiam priuatis, ſummum de religione iudicium tribuis. Quicquid ſtatuerit quiſq;, modo ex ſpiritu dei id faciat, ratum eſſe iubes: quaſi ſpiritum dei eccleſia non habeat, aut non etiam certiorem habeat, quam priuati & idiotæ. Hoc cum firmamentum ſit totius aſſertionis tuæ, quid adiungis? Nullam prærogatiuam iuris ac poteſtatis, nullam præeminentem authoritatem iure eſſe in eccleſia, omnes epiſcopos pares, nullius in alterum iuris quicquam, nihil poteſtatis eſſe. Omnibus datam a domino vnam eandemque poteſtatem, Accipite ſpiritum ſanctum, inquis, quorum dimiſeritis peccata, & quæ ſequuntur. Hoc omnibus dictum, eandemque omnibus poteſtatem commiſſam eſſe: Tyrannidem vſurpari a ſummo pontifice, qui ſe epiſcopum epiſcoporum, atq; adeo vniuerſalem epiſcopum faciat: Hunc titulum reiectum fuiſſe a Gregorio pontifice, ab anteceſſoribus eius recuſatum pro impio ab eiſdem atque blaſ=

Sternit via ad primatũ Romanæ eccleſiæ.

Pag. 199

Pag. 127 & 157. & 171.

Pag. 129

blaſphemo in eccleſia habitũ. Satis fortiter in Romanum pontificem Buccere. Sed quæro ex te (vt ad illud, quod poſtremum eſt, primo tibi reſpondeam) ecquis Romanus pontifex hoc titulo vnquam vſus ſit? aut etiam ab alio ſe vniuerſalem epiſcopum appellari ſuſtinuerit? Paulus dei gratia, ſeruus ſeruorum dei. Hic tu vniuerſalem epiſcopum accipis? Aut ego nihil didici vnquam, aut ſi hoc dicis, nimis impudenter calumniaris. Gregorius (vt opinor) hoc titulo primum vſus eſt. Is cõprobata ſuperiorum pontificum modeſtia, vt tu ſcribis, reiecit titulum vniuerſalis epiſcopi. At cur reiecit? Vt primatum adimeret Petri cathedræ? cui honorem hũc a domino delatum fuiſſe ipſe in euãgelio legebat: cuius ipſe authoritatem primam contra ambitionem epiſcopi Conſtantinopolitani tuebatur: quam paci deniq; & vnitati eccleſiaſticæ neceſſariã eſſe videbat. Huius tu cathedræ prærogatiuam tam modeſtum vigilanteq; paſtorem cũ vnius vrbi iactura proijcere voluiſſe putas? in qua arcem religionis ſtare contra hæreticos, petrã fidei cõtra ſeditionũ procellas, ſicut maiores eius experti fuerãt, ita ipſe ſine dubio ſapiẽtiſſime iudicabat? Nõ erat hæc cauſa Buccere, nõ erat cur talis tãtusq; vir vniuerſalis epi nomẽ reſpueret, ſed cũ pleriq; hũc titulũ ſedi apoſtolicæ vltro deferrẽt, Cõſtantinopolita-

Gregorius primus.

lita-

Ioannes episcopus Cōstātinopolitanus, qui se vniuersalē patriarchā creauerat. Vide Platinā in Gregor. I.

litanus autem episcopus inflatus vrbis, cui præerat, fortuna, eundem sibi deberi contenderet, vir modestissimus quanuis iure suo vti posset, tamē videbat non sine inuidia per contentionem obtineri posse id, quod vanæ ambitionis labe contactum, nec conueniret summi sacerdotis animo, nec si remitteretur, tamen quicquam aut dignitatis apostolicæ successioni, aut curæ sibi ac vigilantiæ erga vniuersam ecclesiam detracturum esse videbatur. Itaq; episcopo Alexandrino scribens, a quo beati Athanasij exemplo hoc titulo honoratus fuerat, negat se agnoscere, quod alijs etiam episcopis pro portione debeatur, se moribus quam verbis prosperari malle, ecclesiæ vniuersalis vigorem, suum honorem esse. Tunc ego honoratus sum, inquit, cum singulis quibusque fratribus meis honor debitus non negatur. Quid sibi volunt hæc verba Buccere? se moribus quam verbis beatum esse malle, Totius ecclesiæ prosperitatem suum honorem esse. Quid vniuersa ecclesia ad Gregorium magis, quam ad cæteros episcopos? cur sua interesse putat, si cæteris quibusque episcopis honor suus reddatur? Vtrum nugari ineptumque esse tantum virum putas? præsertim de re tali ad episcopum scribentem? an existimare potius, suæ curæ commissam vniuersam ecclesiam, cęterorumq;

epis-

episcoporum dignitatem sibi tuendam esse? Nihil igitur facit hic locus contra me ex epistola Gregorij (qui etiam in decreta canonica relatus est) Dist. 99.
nec quicquam detrahit authoritati Romani pontificis, qui Petro principi, deinde longo interuallo Gregorio successit, sed cum de solo titulo loquatur, rem ipsam, hoc est, primariam curam vniuersæ ecclesiæ debitam non obscuro intellectu contra te confirmare videtur. Sed Cyprianum mihi opponis, video, in cuius authoritate magnum præsidium habere te confidis. Itaque non vno in loco, nec simpliciter proponis illius sententias, sed instas etiam mihi, & quasi ad exprimendam confessionem vrges. Adiungis eodem diui Hieronymi sententiam, cuius in epistola ad Euagrium hæc verba legantur, Nec altera Romanæ vrbis ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe. Vbicunque fuerit episcopus, siue Romæ, siue Engubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti, eiusdem est sacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem episcopum non facit. Cæterum omnes apostolorum successores sunt. Hæc miror Buccere cur opponas mihi, qui paulo ante & in epistola mea totius orbis & vrbis

Locus Hieronymi male obiectus.

vnam indiuiduamque ecclesiam feci, qui negaui eandẽ nisi ab hereticis vel schismaticis diuidi posse. Authoritatem quoq; totius orbis quã vrbis maiorem esse decreui. Dixi enim & dico, authoritati conciliorum generalium Romanum pontificem subiectum esse oportere, id quod in duobus concilijs, Constantiensi & Basiliensi, non decretum modo, sed etiam re ipsa declaratum fuit. Pares esse clauium potestate omnes episcopos quis negat? Verum vsum potestatis gradibus distinxit ecclesia, & ad vniuersæ gubernationis vtilitatem accommodauit. Itaq; successores apostolorum sunt episcopi omnes, eiusdem meriti episcopalis ac dignitatis, omnemq; sacerdotij potestatem exercent in ecclesijs suis, quanuis non pariter in omnibus causis. Sed tamen dominus Petro ter dixit, Pasce oues meas, commendans ei ecclesiam præ cæteris, vt omnes quidem vnam atq; indiuisam, sed singuli suam portionem administrarent, omnibus autem vnus præesset, qui quanuis & ipse suam tueretur, curam tamen interim gereret vniuersitatis. Hic igitur & Romanus episcopus est, & curator summus totius ecclesiæ, in omnes pariter episcopos potestatem habens, quantam ei regula tribuit, non ad exercendum imperium in collegas, sed ad cõseruationem disciplinæ, & ad vitandas schis-

matum

matum occasiones. Sed redeo ad Cyprianũ. Quid ille tandem contra me habet? quo speres te om̃em omnium episcoporum authoritatem ita æquare posse, vt nulla prærogatiua iurisdictionis, nullum discrimen exercendę potestatis relinquatur? Citas locum ex tractatu de simplicitate prælatorum, vbi ita scriptum sit, Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei charitatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia vna, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. quomodo solis multi radij, sed lumẽ vnum, & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum. Et paulo post ex eodem Cypriano, Hoc erant vtique cæteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur. Quid obsecro hæc faciunt contra me? Ego nego omnium episcoporũ potestatẽ parem esse, quantũ ad vsum clauiũ, & ad iurisdictionẽ, quę disciplinæ coniuncta est, pertinet: Cyprianus loquitur de vnitate episcopatus, quem quamuis numero multi gerant, ordine tamen ac genere dignitatis par sit in omnibus, idque exemplis declarat. Sed illud te fallit, video, quod dicit vnum esse, cuius a singulis pars in solidum teneatur. Itaque alio in loco hæc verba re-

Episcopalis officij par potestas, iurisdictionis dispar.

Episcopatus vnus, epi multi, quorũ singuli

eadē dignitate præditi. Pag.170

petens quæris a me, Dic, quid est in solidum? Dic, quid sint singuli? & infers, Nisi quod singuli episcopi, quisque pro portione suæ plebis, tota sacerdotij potestate & administratione fungi debeant, toto scilicet episcopatu? Quid vrges? Respondi modo. Dixi quenque episcopum toto sacerdotio fungi in ecclesia sua, docendo, baptizando, ligando, soluendo, offerendo, sed ita, vt seruiatur interim disciplinæ, quæ ad pacem & vnitatem conseruandam necessaria est omnibus, quæ nihil detrahit muneri episcopali, sed officio eius legem statuens, functionem potestatis ad vniuersorum vtilitatem moderatur. Nisi vero qui non dirimit lites coepiscoporum, aut non occurrit vitijs doctrinæ in aliena ecclesia, aut non consecrat illicitum matrimonium in sua, nec parricidam statim absoluit, sed relegat ista ad seuerioris iudicij potestatem, is parcius vti censebitur episcopali officio? minus collatum sibi per impositionem manuum, quam metropolitano, quam patriarchæ, quam summo denique pontifici queretur? quorum authoritati dum parere illum iubet ecclesia, illud significat, disciplinæ rationem habendam esse, sine qua nec stare episcoporum ordinem, nec vllam, vel doctrinam in ecclesia, vel religionem salubrem esse posse. Scriptum est enim, Et dabo vobis pastores secundum

Disciplina facit discrimen inter episcopos, vt alius alio maior habeatur.

dum cor meum,qui pascent vos pascentes cum di sciplina. Et, Cõtinete disciplinam, ne forte irascatur dominus, & pereatis a via recta. Quibus verbis spiritus sanctus, Buccere, coniungit disciplinam cum doctrina,eandemque seruari iubet ab omnibus,ne quanuis doctissimi, declinantes tamen a via recta, pereamus. Huic tu seruire episcopos, huius legibus atque institutis obedire indignum existimas? Cur igitur ipse fateris hos ordines vtiles esse in ecclesia? cur metropolitanum ab episcopo, patriarcham a metropolitano distinguis? Vtrum par est horum authoritas? an alius alium gradu aliquo antecedit? Ita enim scribis, Siue igitur metropolitani episcopi sint,siue quibus postea amplior, & plurium ecclesiarum cura commissa est, patriarchæ,hi tamen iure CHRISTI,iure ecclesiarum potestatem in alias ecclesias, quam quibus ipsi præfecti episcopi sunt, hanc solam habent, vt curent, quo episcopi cuiusque diœceseos rite eligantur & ordinent̃, vt suum munus episcopi probe administrent, vt cuiq; suus clerus & sua plebs in his,quæ dñi sunt,pie obsequant̃. Hæc & metropolitani singuli & patriarchę procurare debent tũ admonitionibus & per nuncios & per literas, tum inspectionibus & synodis. Per se aũt in nulla ecclesia ius habent ea faciẽdi,quæ sunt episcopi,nec cui-

Buccerus fatet patriarchas & metropolitanos ius habere in alios episcopos. Pag.118

quam episcopo suam potestatem aut functionem, quandiu is ea rite fungitur, intercipere vel imminuere possunt. Vides quantam his verbis potestatem concedas, non dico summo pontifici, sed metropolitanis & patriarchis, q infra illum sunt, illiusque authoritati religiose parent. Tantam certe, quantam ego ne postulare quidem abs te ausus fuissem. Perspice enim singula & expende, quæ tu illis tribuis, quantum valeant, quantumq; iuris constituant in cæteros episcopos? Præsunt electioni eorum et ordinationi. Hoc tu parum esse putas? ratam habere electionem episcopi, vel irritam facere, id quod postea propter contentiones partium necessitas ipsa ad grauius consilium, vniusq; summi authoritatem transtulit, a quo confirmantur hodie electi, si digni iudicantur, et si nihil vitij interuenit, libera nihilo minus eligendi potestate his, ad quos pertinet, reseruata. Deinde, visitant inferiores, aut agunt per literas ac nuncios. Quid hoc est? cognoscunt & iudicant de officio ac diligentia cuiusque episcopi, quomodo administret munus suum, & qualem omnino in episcopatu se gerat. Sed & clerum cum populo dicto illi audientem faciunt. Quis magistratus in libera ciuitate maiorem potestatem habet in ciues suos? Inquirere in officium sacerdotis, de studijs & factis,

Patriarchaæ & metropolitanoæ potestas expeditur.

de vigilantia & negligentia eiusdem statuere, coercere non clerum modo, sed etiam plebem: obsecro te vt expendas, cuiusmodi sint ista, & quam vim habeant. Negas tamen interim præsidem & cognitorem istum quicquam iuris habere in ecclesia inferioris episcopi, nihil de potestate & functione eiusdẽ intercipe vel minuere posse. Nec mihi sane magistratus huius oppidi quicq̃ aut iuris eripe, aut impedire, quo minus id vel publice vel priuatim, q̊d officij mei est, faciam, potest. Sed percõmode illud adiecisti, quãdiu is potestate sua rite fungitur. Ergo si non fungitur, coerceri, vel etiam deponi (si videtur metropolitano) potest. Quid enim aliud dicas? nisi vt fatearis secundum hanc tuam ipsius præscriptionem hæc ita fieri oportere? Tua ipsius igitur confessione conuinceris, potestatem ecclesiasticam non apud omnes episcopos parem fuisse quondam, nec hodie esse debere, neque expedire ecclesiæ, sed neque gubernationem eiusdem alia ratione vel melius constitui, vel disciplinam salubrius ordinari aut posse nunc, aut quondam potuisse: quam vt sub vno ordinis hierarchici capite diuersis potestatis gradibus dispositis vniuersitas fideliũ administretur. Sed negas vni tm̃ imperium committendum esse: præsertim impio atq; tyranno, quales ecclesia multos

per-

pertulerit. Tyrannos esse pontifices sæpe audit ex vobis: sed ita, quemadmodum cõuitia ab inimicis iactari solẽt. Impios aũt veritatisq; hostes esse, nõdum ꝓbatum est abs te, id q̃d supra etiam flagitaui, vt fieret. Nunc aũt non arbitror crimina ista tã certa esse, vt ad solam maleuolorũ obtrectationem valere debeãt, cũ decretis etiam canonicis cautum sit, ne temere admittatur accusatio episcopi, neue testimonijs nisi certo numero præfinitis quisq̃ condemnet. Quod si incerta sunt, quæ obijcis, stãdum erit tuæ ipsius sentẽtiæ, q cẽses malos etiam episcopos

Pag. 155 ferẽdos esse, q̃diu verbis sese aut factis suis nõ prodant a Christo alienos esse. Sin vero proditos iam, vitaq; & doctrina Antichristos esse (ita enim appellare soles) contendis, audio qdem accusatiõem tuam, sed rem nondũ video. Ambitio fortasse quorundã vel auaritia nota esse potuit: alienatio a Christo, nisi probet certioribus testimonijs, quã tu adhuc posuisti in scriptis tuis, credi ab vllo pio Christianoq; hoĩe nec potest nec debet. Sed videamus tñ quid senserit, non solum de Petri successoribus, sed etiam de cathedra ipsius antiquitas. Certe Hieronymus, quem tu paulo ante citasti cõtra me, quasi oẽs episcopos & cathedras pares faciat, cõturbatus fraude Arianæ malitiæ; cuius fermentũ in quibusdam quasi catholicis adhuc residere animaduer

te-

tebat, petens consilium a Damaso Ro. pontifice, quam ad illũ epistolam, qbusq; verbis scribat, minime ignoras. Ideo mihi cathedrã Petri, inqt, & fidem apostolico ore laudatã censui consulendã. Et paulo post, Quanq̃ igit̃ me tui terreat magnitudo, inuitat tñ humanitas. A sacerdote victimam salutis, a pastore præsidium ouis flagito. facessat inuidia, Romani culminis cedat ambitio, cũ successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primũ nisi Christũ sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri cõmunione consocior, super illam Petram ędificatã ecclesiã scio. Quicunq; extra hãc domum agnũ comederit, ꝓphanus est. Si qs in arca Noe nõ fuerit, pibit regnante diluuio. Quid Bucere? Supra citabas ex hoc ipso Hieronymo, Si authoritas quærenda est, orbis maior est vrbe. Cur igit̃ ipse tot cathedris in Syria, in Ægypto, in Asia, in Græcia relictis, ad vnius Petri cathedrã se cõuertit? cur ab hac cibũ catholicũ? præsidiũ orthodoxum, potius q̃ ab alijs vicinioribus petit? Nullũ primum nisi Christũ seqtur, & recte. Sed huic Petri cathedrã ꝓxime adiungit. Hanc sup petram illam euangelicã ædificatã esse, in hac vniuersæ ecclesiæ fidẽ agnoscit, q extra hanc sit, negat eũ agnum paschalem in eadẽ domo cũ Christo cõedere, negat in arca illa salutis orbis terrarũ cum patriarcha Noe esse. Quid hic videt̃ tibi? nulla re Hieronymus an-

Hieron. in epist. ad Damasum, quæ incipit, Quoniã vetusto.

Kk tepo-

reposuit Petri cathedram, atque adeo Petri successores, cæteris episcopis? nullum gradum authoritatis, nullam prærogatiuam ei tribuit? Episcopos pares fecit, fateor, hoc est, omnium episcoporum ordinem vnum atque æqualem: nullius sacerdotium maius, nullius consecrationem augustiorem esse iudicauit. Non confudit tamen disciplinæ ordinem, nec rationem conseruandæ vnitatis de ecclesia sustulit, sed authoritatem conferens, distinxit orbem ab vrbe, orbis maiorem, vrbis minorem esse censuit, & tamen orbem hoc in loco (vt vides) pene intra vrbis ipsius fines inclusit. Quid de TERTVLLIANO, de Irenæo loquar? quos tu pariter testes facere conaris contra me: quantam illam authoritatem? quantam prærogatiuam Romanæ sedi tribuunt? Fœlix ecclesia, inquit TERTVLLIANVS, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Irenæus ecclesiam a duobus apostolis Romæ fundatam & constitutam prædicans, fidem eiusdem quasi per manus traditam hæreticis

Tertul. de præscrip. aduersus hæret.

reticis opponere non dubitat. Quid CYPRIANVS? nonne ad Cornelium eiusdem vrbis papam sanctissimum scribens, ita inuehitur in eos, qui ad confirmandum pseudepiscopum suum Romam nauigauerant? Post ista adhuc, inquit, pseudepiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram atque ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prędicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. Sed tu hunc locum, cum dissimulare non possis, ipse citas in libro tuo, non propter commendationem Romanæ cathedræ, quam inuitus legis, sed propter verba, quæ sequuntur, quibus CYPRIANVS iniquum esse putabat, causas episcoporum audiri extra prouinciam, sed decreto standum esse, quod (vt apparet) ea de re episcopi Aphricani prouinciali synodo fecerant. Nam cum statutum sit ab omnibus nobis, inquit, & ęquum sit pariter & iustum, vt vniuscuiusq; causa illic audiatur, vbi est crimē admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit asscripta, quam regat vnusquisq; & gubernet, ratiōem sui actus domino redditurus: oportet vtiq; eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum Cypria. epist. 3.

Kk ij con-

concordiam cohęrentem, sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suã, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possint. In hoc tu loco Buccere velut palmariũ reperisse te putas. Sed primũ illud ex te quæro, vtrũ quæ scripsit in hac omni epistola Cyprianus, ex animi sententia scripsisse illũ existimes? an adulari voluisse Cornelio, quẽ fratrẽ & collegam & sanctissimum papã sępe appellat? Eqdem minime arbitror: neq; tu tam male sentis de sanctissimo martyre, vt illud ne suspicari qdem velis. Quod si ita est, vide vtrũ porro malis? inconstantiæ damnare tñ virũ, cuius tu authoritate (vbicunq; id tibi causa largit̃) cõtra me vti studes? an ex illius sentẽtia fateri, aliam esse in episcopis clauiũ, quam vocant, aliam iurisdictionis potestatem. Etenĩ cum vno eodẽq; in loco principem faciat Petri cathedram, ex qua sacerdotalis vnitas exorta in vniuersum orbẽ diffusa sit, moxq; eidem ius deroget cognoscẽdi de ꝓuocationibus extra ꝓuincialium causarũ, qd aliud quæso ostendit? quam se principatum quidem cathedræ, hoc est, doctrinæ apostolicę Cornelio tribuere, ius aũt cognoscendi de causis externorũ episcoporum metropolitanis ac synodis ꝓuincialibus relinquere? Ergo primã certe cathedræ authoritatẽ tribuit Romanæ ecclesiæ, ius cognoscendi de causis externis adimit. Nolo hic dicere, quam vim habeat hęc ipsa

Colligitur ex Cypriano, aliã clauiũ potestatem esse, quæ omniũ sacerdotũ est communis, aliam iurisdictionis, q̃ certis in ecclesia, & in his vni summo attribuitur.

ipsa sententia. illud dico, me non tam quærere iurisdictionē summā in hac causa, quam verā de scripturis deq; tota religiōe iudicandi authoritatem, a qua cum potestas iudicandarū causarū separata esse nō debeat, ac ne possit quidem cōmode, si quidem vnitas ecclesiæ cōtra schismata retinēda sit: non video, quō qui tribuit excellentē doctrinæ authoritatem vni ecclesiæ, potestatē iurisdictiōis parē eidem cōcedere non possit. Quanq̃ si iurisdictionis etiam causa agenda sit, vide obsecro quantū sentētiæ Cypriani, quantū synodo ꝓuinciali, quantū Aphricanis concilijs, quorū tu authoritatē huic statim loco subijcis, tribuēdum sit, præsertim vbi de iurisdictione agit̃, quæ temporibus & potest mutari, & solet, citra authoritatis ecclesiasticæ, quæ clauiū propria est, detrimētum. Illud etiam vide, vtrū plus illis tēporibus valere oportuerit, q̃d in Aphricana synodo a centum & quinquaginta episcopis de ꝓuocatione cōtra Cœlestini, Zozymi, & Bonifacij voluntatē, contraq; apostolicæ sedis prærogatiuā decretum fuit: an illud potius, q̃d breui post Nicænam synodū in Sardicensi cōcilio a trecentis patribus eadē de re statutum fuerat, nēpe, vt liceret a ꝓuincialibus synodis, si q̄s inique aduersum se iudicatū existimaret, ad Romanum pontificem ꝓuocare. In q̄ sane si vtriusq; cōcilij authoritatem ponderaueris, negari nō potest, quin oportuerit maio-

Pag. 118 & 176.

ris antiquiorisque concilij, nempe Sardicensis, decretum anteferri? Sed ad Cyprianum redeo. Huius te authoritatem Buccere plurimi facere ex scriptis tuis apparet. Quid si igitur ostendo tibi ex eadem Cypriani epistola, cuius tu locum supra de æqualitate episcoporum contra me citasti, illum nõ constituisse modo, sed etiam necessariã duxisse vnam primam ac summam cathedrã in ecclesia? ad quã in omni fluctuatione doctrinæ contra hæreticos, tanquam ad fontem caputque ipsum fidei religiõisque catholicæ conuertamur? Vtri censes hac de re credendum esse? tibi oppugnãti Petri cathedram, & arma a Cypriano iniusta mutuanti? an mihi, vtenti eisdem armis contra te, proque eadem cathedra sententiam Cypriani certam alleganti? Is igit in tractatu de simplicitate prælatorum monens episcopos, vt ita sint simplices, ne fallantur ab hæreticis, neue se fraudibus illorum circumueniendos præbeant, causamque periculi ostendit ita scribens, Hoc eo fit, inquit, fratres dilectissimi, dum ad originem veritatis non reditur, nec caput quæritur: neque magistri cœlestis doctrina seruatur. Hoc probat deinceps ex scripturis, Probatio est ad fidem facilis, inquit, compendio veritatis. Loquitur dominus ad Petrum, Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo

bo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis. Et eidem post resurrectionem dicit, pasce oues meas. Et quanuis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuit, & dicit, Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum, Si cui remiseritis peccata, remittentur ei, si cui tenueritis, tenebuntur, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant vtiq; & cæteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædit & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt ecclesia vna monstretur. Quid Buccere? an ex omnibus locis, quos citasti ex Cypriano in hac causa, quisquam clarior, euidentior, illustrior in te recidit? Hanc causam esse ait, cur simplices decipiãtur ab hæreticis, quia fontem doctrinæ relinquant, nec ad caput reuertãtur. Quodnã caput? Ad Petri cathedrã, inquit, quam dominus in Petro tanquam vnitatis principio constituerit, quam ipse matricẽ alio in loco totiusq; ecclesiæ catholicæ radicem appellare non dubitauit. Etenim oĩbus ligandi & soluendi potestatem traditam esse ait, sed Petro in primis, cui etiam oues pascendas dñs singulari præcepto cõmiserit. Ab hoc igitur vnitatis principium esse in ecclesia catholica, hinc totius fidei doctrinam incorruptam manare, Epist. 8.

nare,

nare, hinc vnam diffundi per orbis latitudinē, nec minus vnā interim indiuisamq; manere. Hanc amplectēdam esse oībus, quicunq; salui esse velint, hāc retinēdam in periculis nouorū dogmatum, ad hanc perpetuo tanq̄ ad caput fontemq; ipsum recurrendum. Hoc eo fit, inquit, fratres dilectissimi, quasi dicat, hæc causa est, cur fallant multi ab hæreticis, cur nouis opiniōibus decipiant, quia caput doctrinæ nō quærunt, nec repetūt primam originē. Itaq; cœlestis magistri præceptis excidunt, amittunt viam veritatis, & inexplicabilibus erroribus inuoluunt. ¶Idem monet & inculcat Tertullianus, Apostolicas cathedras requirēdas esse: harū doctrinā traditionemq; amplectendā cōtra hęreticos: minime cum eisdē ex scripturis decertandū. Etenī ius nullū allegandi scripturas cōpetere hæreticis, nullā possessionem, nullam cōmunionem reliquam esse, oīa pariter illos cū ecclesia iura q̄q; eiusdem pdidisse. His tantis Buccere & tā claris authoritatibus, quid habes, q̄d opponas? Nihil moueris Cypriani sententia? nihil Tertulliani? nihil ꝟitate ipsa? quæ tegi ac dissimulari, quæ vinci deniq; non potest? Vides ne cōstitui vnum principiū vnitatis catholicæ, vnā principē cathedrā in ecclesia? ad quam nos tuto referamus in dissensione doctrinæ? cuius sententia atq; authoritas cōtra hæreticos oībus, & maxime simplicibus, amplectenda sit. Hanc vnitatē tu stare

diu,

diu,tu saluam fore speras,si multorum arbitrio de doctrina & par & summa committatur authoritas? si par potestas gubernationis ecclesiasticæ in multis primarijs sedibus constituatur? Nega,si potes,nihil mali hinc extitisse,nõ solũ nostris, sed etiã patrum tẽporibus,dum neglecto vno capite diuersis in locis agitabant cõsilia:dum in Aphrica,Ægypto,Asia,Græcia,Thracia,episcoporũ cœtus,non ab vno neq; sub vno perpetuo curatore,sed ab vniuscuiusq; ꝓuinciæ patriarcha vel metropolitano cogebant.Quæ alia causa orientalem diuisit ab occidentali ecclesia? quæ multarũ synodorũ decreta, quis saluberrima,tñ irrita modo apud hos, modo apud illos fecit?Legantur acta cõciliorum,patebit ꝗ multa dissidia principum ecclesiarũ, quam multas ꝑturbationes nõ modo excitarit, ista vel nimia religio episcoporũ in tuenda æqualitate ecclesiastica,vel certe indigna ecclesiastico noĩe ambitio, sed etiã aluerit. Arius,Manichæus,Donatus,stetissent tãto tẽpore cõtra catholicos in ecclesia? tãta importunitate vexassent pios, successu plebem occupassent,si vnius primi nomen valuisset in ordine ecclesiastico? si vnius cathedræ dignitas potius,quam ꝓphani principatus potestas sacrorũ cõciliorum authoritatẽ gubernasset. Laudas mihi Cõstantinum principẽ. At quid Constantio successori eius facies? quid Iuliano? quid Valẽti? ꝗd multis alijs deinceps

Pag.209 nominat Cõstantinũ

Ll

& Theodosiū. ceps tyrannis potius q̃ principibus, qui vel seduci se passi sunt ab hæreticis, vel maiorem certe imperij quam religionis curam habuerunt? Romanæ autem cathedræ quis vnq̃ illusit hæreticus? quis illius ecclesiæ fundamenta labefactauit? Alexandriam, Ephesum, Antiochiam expugnauit aliquādo hæreticorum furor. At Romanæ ecclesiæ inconcussam fidem nulla vnq̃ violauit impietas, nullum de ea spolium hæreticorum superbia reportauit. Quod si mentior Buccere, argue mendacium meum: sin vera est hæc oratio, quātam hanc laudem esse putas in hoc negocio? quantam Romanæ ecclesiæ cōmendationem? Sed relinquamus vetera, ad ꝑpiora veniamus. Picardos (q̃s tu laudas) Vualdenses, Pauperes de Lugduno, Hussitas, & si q̃d aliud genus deploratorꝝ hoīm est, quam occasiōem tuēdi erroris habuisse apud maiores nostros? ecq̃d dogma fundamenti aliud statuisse existimas? quam oīm episcoporum authoritatem parem esse, nullas cuiusq̃ partes priores, nullū primatum, nullum ius esse in alios, sed oēs libera potestate episcopos ecclesiarꝝ suarꝝ rectores esse? Itaqꝫ eadē doctrina iampridem renouata, q̃s negare potest nō tam correcta esse vitia ecclesiæ, quibus horꝝ malorꝝ causa attribuitur, q̃ꝫ maiora etiam excitata? dum pro vna ecclesia non duas iam, sed quatuor in vna natione numeramus, Euāgelicos, Sacramētarios, Anabap-

Picardos laudat pag. 119.

baptistas, Catholicos: vt incertum iampridem habeat populus, qd sequatur in hac varietate, vel potius quid fugiat. Huius tantæ perturbationis causam quisq̄ aliam fuisse putat, aut etiam hodie esse in Germania? quam quod vni sacerdoti non obtemperatur, nec vnus (vt Cyprianus de singulis episcopis loquit̃) ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: qui ipse quidem etsi non præest singulis ecclesijs, nec ius earum suis rectoribus minuit, tñ cum sæpe existant dissidia, quorum progressione & perturbari ecclesiam, & sępe etiam scindi constat, quis indignetur eundem vnum præesse omnibus, quemadmodum pluribus singulos præesse videmus? per quem aut finiantur controuersiæ moribus & legibus ecclesiæ, aut si id fieri nequeat, cura eiusdem atque officio totius vniuersitatis authoritas congregetur. Sed tu negas vni episcopo tantam, hoc est, vniuersalem curam, committēdam esse, cuius titulum beatus Gregorius repudiauerit. Deinde, vt fatearis vera esse, quæ de vnitate ecclesiastica a me hactenus dicta sunt, tamen vestram quoque ecclesiam vnam indiuisamque esse contendis. Sed & principium vnitatis non ad Petrum neque ad successorum eius cathedram, verum ad Christum potius referendum esse censes. Ad quæ semel ita respondeo tibi, Gregorium non curam vniuersalem, sed titulum

vniuersalis episcopi reiecisse. Neq; em̃ ignorabat Petro totius ecclesiæ curam cõmissam fuisse a dño (sicut tu ipse fateris) quã in successores q̊q; descendisse minime dubitabat. Itaq; titulũ repudiauit nõ ambitiosum tm̃, sed etiam inuidiosum, potestatẽ retinuit, exercuitq; in põtificatu, q̃diu in Petri cathedra sedit. Quod negas fortasse vnitatis principiũ ad hãc ipsam cathedrã referendũ esse, sed ad Christum potius, rñdeo tibi, Christũ vnicũ authorem fuisse cõstituendæ ecclesiæ, de q̃ scriptũ est, Vnus dñs, vna fides, vnũ baptisma. Sed cum discedens a nobis hanc eandem vnitatẽ ꝑpetuo manere vellet in tãta multitudine, curã eiusdem mãdauit vni, quẽ principem designarat multis argumẽtis, vt ipse q̃dem ꝑpetuæ vnitatis author esset in cœlis, Petrus aũt, & quicunq; ei succederet, retinẽdæ eiusdẽ dux & princeps in terris haberet̃. Itaq; vnitatis cõstituendæ principium Christus, retinẽdæ per eundem Christum Petrus statuit̃: id q̃d sensit Cyprianus, totaq; antiq̃tas si nõ ṽbis (quanq̃ & ṽbis multi) certe re ipsa cõfessa est. Quod vestram q̊q; ecclesiam vnã indiuiduãq; esse dicis, vide obsecro quantum intersit. Ego catholicam vnitatem quæro in hac omni disputatiõe mea, quam etiam inuenisse me spero: tu vestrã vnitatẽ, cuius triginta hinc annis principium adhuc nullũ apparuit, opponendã mihi cẽses. Quæro em̃ ex te, q̃dnam principiũ habeas vnitatis

Principiũ vnitatis ecclesiasticæ Christus primũ, deinde Petrus.

tatis

tatis tuæ? Christum rñdebis. At Christus in terris (neq; eñ cœlestem, sed militantẽ ecclesiã, neq; spi ritaliũ modo, sed etiã corporalium rerꝫ vnitatem quęro) Chrs, inquam, cui reliquit huius loci vices? Hic Petro dicere formidas, nõ ꝓpter ipsum, cui o= pinor honorem hunc nõ inuides, sed ꝓpter succes sores. Ergo oĩbus apostolis certe sicut ecclesiæ gu= bernatiõem, ita vnitatem q̊q; reliquisse fateris. Ab his porro in q̊s ꝓpagata est. (Agnoscis argumen= tatiõem Buccere eandẽ, quam in epistola q̊q; mea posui, ad quã tu ỽbum adhuc nullũ rñdisti) In q̊s, inquam, censes vnitatem ecclesiæ ab apostolis ꝓpa gatam fuisse? Erant eñ iam tum Nicolaitæ, q̊s A= pocalypsis Joannis noĩat, erat Symon ille magus, Menander, Basilides, Cęrinthus. q̊s secuti sunt He= bion, Valentinus, Martion & cæteri, q̊s oẽs Ter= tullianus cõmemorat. In hos certe nemo dicit, ne tu ipse qdem, cõtinuatam fuisse vnitatẽ, quã illi vio lauerant nouis doctrinis, & ab ecclesia secesserant. Ergo in eos cõfiteris, q manebant in successiõe apo stolica, doctrinãq; ab illis acceptam retinebãt. Hæ reticos eñ & nouatores semp exclusos a patribus, nec cum eisdem vnq̃ cõmunicatum fuisse cõstat. Ab his porro qs accepit? Nõne fateri cogeris, om niũ temporꝫ ꝓgressione cõtinuatam fuisse in hãc nostram ætatem, successione ꝑpetua atq; integra? ita, vt cum apostolica Petri cathedra, iuxta ꝓmissi=

De spiritaliũ rerũ vnitate & cõ= muniõe Bucce. pag. 205 & 208.

onem domini, nunquam defecerit a recta fidei regula, ab hoc sumpto progressionis initio, vniuersa communio, quantacunque in terris patet, nusquam ab apostolica illa orthodoxaque linea deflectens, nusquam etiam intersistens, per om̃ium locorum, temporum, hominumque successiõem (id quod vere catholicum appellat̃) cursum tenuerit ad hoc vsque tẽpus, donec ante quatuor & viginti annos, sicut a multis antea nouorum dogmatum authoribus, ita a vobis quoque pari vel errore vel temeritate attẽtari coepta est. Hanc vnitatẽ Buccere cũ vestra cõferre audes? quae noua, quae acephala extra Lutherum est? quae non cunctorum fidelium, ac ne vnius quidem nationis hoĩm est, sed paucissimorum, si cum caeteris conferas? quae vix vltra limen progressa nõ mansit quidem vna, sed diuisa statim, in nouas intolerandasque sectas aeque peruicaces abijt: quarum nulla est hodie, quin authorem suum nominet, non Christum, sed hominem quenpiam, nec grauem minus ac fide dignum, quam tui vel Lutherum vel alium quenque celebrant. Et tu vnitatis mentionem vllam hic facere audes? quae nulla vnquam fuit, neque est hodie vera ac stabilis, ne inter vos ipsos quidem, qui euangelici nominis titulum caeteris praeripuistis. Quanta enim fuit tibi ante aliquot annos cum Luthero ipso dissensio? quanta illi cum Carolostadio? quem primo socium & antesignanum nouae do-

Nulla neque doctrinae neque re-

doctrinæ habuit: postea proscriptum ex finibus longissime profligauit. Te autem Buccere quomodo tractarit in libellis suis, qui tunc legebantur ab omnibus, & meministi adhuc, arbitror, & sine dolore meminisse non potes. Nihil hic dicam, quanta sit in ecclesijs ipsis varietas, dum alij execrantur missam, alij partem eius retinent, Lutherus ipse adhuc omnem fere apparatum veteris cæremoniæ approbare dicitur. Hic locum vnitati vllum esse putas? Si missa prophana est, si impia & blasphema in CHRISTVM, quemadmodum Lutherus ipse & cæteri libellis æditis atrocissime illam accusant, cur vllum eius vestigium in ecclesijs vestris esse permittitis? Patres nonnulli quondam non receperunt lotionem pedum a Christo institutam in vsum ecclesiæ, ne ad baptismum pertinere videretur, vt Augustinus tradit. Vos missam sacrilegij damnatam, alij aufertis ex oculis atque memoria hoim, alij tanquam salubrem adhuc nō partem modo eius aliquam, sed formā cæremoniāque eiusdem pene oēm retinetis. Hæccine est cōstantia cōformationis ecclesiasticæ? hanc cōsensionem catholicam, vnitatem corporis Christi cōstituere potestis? Sed mitto ista. Quæro, vnde initium ceperit, & a quo progressa sit vestra ecclesia? Quod si nō Lutherum mihi, sed Christum nominas, quæro, an maiores nostri, an patres illorum, an rur-

ligionis vnitas apud Lutheranos.

Aug. in epist. ad Ianuarium, de ritibus ecclesi.

sus

ſus hoꝝ patres ac proaui vſq; ad apoſtoloꝝ ætatem, a quoꝝ inſtitutis nunq̄ receſſiſſe illos cognitum eſt, vtꝝ hoꝝ (inquam) oı̄m ſucceſſio atq; poſteritas vſq; ad hanc noſtram rurſus ætatem, pſtiterit in fide atq; vnitate catholica? an vero exciderit aliqn̄, nec cōtinentem ſeriem ꝑpetui inuiolatiq; tenoris hucuſq; ꝑduxerit? Quod ſi negas, oſtende quæſo, vbi, qn̄, ꝑ q̄s vel interruptio vnitatis, vel inclinatio facta ſit. Quod ſi facere non potes, nec eſſe alia conuincitur niſi vna ſola indiuiduaq; eccleſia, quam catholicā noīamus, quō hāc veſtram a Chriſto ꝓgreſſam eſſe dices? cum hanc ſolam eſſe vides, quæ ꝑpetuo inuiolabiliq; tenore, nulla mutata interruptaue ſucceſſione, quam proferre poſſis, a maioribus, a patribus, ab apoſtolis, ad nos vſq; ꝑducta eſt? Quod cū ita ſit, q̄ tandem pudore iactatis veſtram cōmunionem, quaſi ſola v̄bum dn̄i, ſola veꝝ rectumq; vſum ſacramentoꝝ teneat? noſtram aūt, quę veriſſime his rebus (quas vos nullo iure vſurpatis) cōſtituta, ornata, inſtructaq; eſt, tan q̄ notham adulterāq; facitis? q̊dq; longe indigniſſimum eſt, non modo non ſponſam Chriſti, ſed Antichriſti meretricem appellare non erubeſcitis? Quaſi vero aut intra vnitatem catholicam adulterari eccleſia vllo modo, aut extra eandem conſtitui ſocietas vlla queat ſub CHRISTI nomine, in qua aut verbum dei ſalutiferum, aut vis vlla ſa-

cra-

cramentorum fructuosa esse possit.

Sed satis de authoritate ecclesię, ac pene plus eti am quã satis, quem locum tñ idcirco pluribus ver bis necessario tractaui, non solum vt cõfirmarem, quæ eadem de re in epistola mea ad te scripta sunt, sed etiam vt tua, multa variaq; vndiq; conquisita, refellerem. Etem̃ omnem rationem defensionis hu ius in tres partes distributam, in duobus capitibus constitui, verbi ac ministerij. Verbum inclusum scripturis neq; statuere omnia expresse, quæ ad vsum ecclesiæ necessaria sint, docui, neq; ea ipsa, quæ statuat, aut satis plana esse omnibus, aut in eundem sensum intellectumq; apud omnes conuenire. Itaq; traditione multorũ, & explanatione opus esse. In quibus cum iudicium atq; authoritatem ministro rum valere oporteat, sententiam quoq; eorũdem atq; doctrinam de omni religione recipiẽdam esse euici. Indignitatem abs te obiectã ita defendi, vt remouerim crimen impietatis a verbi ministerio, vitam moresq; corruptos multorũ cum dolore improbarim. In quo tñ illud planum testatumq; feci, bonorum quidem sacerdotum ministeria optãda quærendaque esse in ecclesia: sed si minus contingant, malis necessario vtendum esse, quibus & vis sacramentorũ eadem in ministerio, & doctrinæ veritas ad necessitatem ecclesiæ ex diuina misericor Epilogus.

dia cœlitus præstentur. Summam igitur authoritatem constitui in vniuersa ecclesia, cui præsint sacerdotes: his autem vnus omnibus ad vniuersitatis curam contra schismata gerendam. Hanc authoritatem saluberrimam, cunctisque ad salutem aspirantibus necessario amplectendam esse duxi. Sed quia tu vendicare tibi ecclesiam, verisque possessoribus eandē extorquere conabaris, illud postremo loco ostendi, in nullis partibus illam, sed in veteri sede sua totam quærendam esse, in qua cum per catholicæ vnitatis successionem permanserit sub Petri cathedra in hanc vsque diem, nusquam nisi eodem in loco inueniri posse. Hæc omnia testimonijs scripturarum sanctorumque patrum authoritatibus a me confirmata sunt, depulsis interim, quæ abs te in contrariam sententiam congesta erant, ita vt nullo contra me loco amplius oppugnationem tuam staturam esse confidam.

Exhortatio. Quid restat igitur, nisi vt te commoneam atque exhorter pro fraternę dilectionis officio, quod non solum aduersarij inuicem, sed etiam inimici iuxta præceptum domini præstare debent, vt prauæ opinionis errore abiecto, conuertas te ad authoritatem ecclesiæ, quæ non nisi vna indiuisaque esse potest, nec plus vni tibi cum paucis, quam tot luminibus veteris ecclesiæ, tot millibus sanctissi-

ctissimorum sapientissimorumque hominum, tantorum temporum perpetuo inuiolatoque consensui credere malis. Vides enim quam pernicioso dissidio conflictetur Germania, quantum periculum ecclesiæ iampridem ex his nouis doctrinis comparatum sit. Ecquid speras te, etiam si pergrexeris longius, ex his turbis consequi posse? Etenim si quæsisti nominis celebritatem, iampridem toti orbi Christiano plus satis innotuisti. Si turbare ignauos, atque ocium languentis ecclesiæ excitare voluisti, vicisti expectationem. Non solum enim exercuisti omni odio clericorum ordinem, sed etiam ecclesiam vniuersam ad studium reformandæ religionis compulisti. Quid est amplius in hac causa, quod sperare possis? Spectas victoriam fortasse contra aduersarios. At illa quam longe adhuc posita sit, vides. Nescis Buccere, quam multos, quamque paratos adhuc habeas in Germania, Gallia, Italia, Hispania aduersarios, quantis fauoribus spectantium populorum, quanta potentia subnixos. Multi se hostes sustulere contra PETRI cathedram. At illa semper inuicta perstitit, nec perstitit tantum, sed etiam victrix perculit omnes.

Nemo de hac spolia retulit vllo tempore hostis: nemo de apostolica sede violata gauisus est: nemo ex hoc bello inimicus vnq̃ triumphauit. Arius nõ episcoporum modo plurium suffragio, sed orbis pene totius applausu superbus incedebat, cum plurimas in oriẽte, plurimas in occidente ecclesias sub doctrinæ suæ iugum depressisset. At quẽ exitum habuit? quam fœdum? quamq; hoste illo dignũ? Damnatus trecentorum episcoporum iudicio, in exilium actus, cũ postea fraude reuocatus nullum perfidiosæ impietatis finem faceret, in loco fœdissimo visceribus fœde effusis fœdam animam reddidit. Neq; hoc tam atrox exemplum ad te pertinere volo, cuius omen deprecor potius, ne quenquam contingat, qui vnitati ecclesiasticæ adhuc reddi potest: sed illud potius ostẽdo, funestos esse exitus obstinati erroris, præsertim si impietati malitia accesserit, sicut in Ario, q̃ se fidem Nicæni concilij amplecti peierauerat, quę omnia mala certe in illo grauissima fuerunt, in alijs alia etsi leuiora sunt, cauentur tamen securius, quam longa procrastinatiõe in periculum admittantur. Quanto me gaudio perfusum iri putas? si te aliquando audiero mutata mente ista reuertisse in sinũ vnitatis ecclesiasticæ? quantos plausus, quantam iucunditatem plurimorum excitaueris? Nihil dubito, ac videor mihi videre

etiam

etiam obuios amplexus maternæ pietatis, quibus te cum lachrymis gratulabundoq; animo receptu ra ſit mater omnium noſtra, quæ nos in Chriſto fratres genuit, eccleſia. Huius votū ac deſiderium, huius expectatiōem, quæ tandem longiſſima Buccere illi viſa eſt, noli trahere longius, noli obſecro pati illam diutius affligtari noſtro diſſidio, tuaq; culpa, quæ nulla tandem pœnitentia reparari poterit, in mœrore eſſe. Vides, quantum in te vno, aut certe ad ſummū, duobus tribusue collegis tuis poſitum ſit: quantum interſit trium animarum, quas tot millia ſecutura ſunt: quarum conuerſione (crede mihi) redibit lux priſtina eccleſiæ, ſarcietur vnitas, cultusq; religionis in priſtinum dignitatis gradum cum vſura reſtituetur. O fœlicem diem illum Germaniæ, & veram lucis illius celebritatem, qua diſſipata iamdiu membra ac pene perdita eccleſię, in vnius corporis compagem ordineq; pulcherrimum reſtituentur. Te fraterne moneo, atq; etiam tibi ſupplico Buccere, ne nos, ne teipſum fraudes tanti boni fœlicitate, neue committas, vt tibi ad ſalutem (quæ totius mundi poſſeſſione charior eſſe debet) nobis ad lætitiam gratulationemq; iucundam, Germaniæ ad concordiam, toti deniq; eccleſiæ ad pacis vnitatisq; coniunctionem odio atque obſtinatione tua defuiſſe videaris.

 Sed

Sed hic finis esto. Habes, quæ mihi ad confutationem epistolæ meæ respondere visum est, non omnia quidem, quæ volui, sed quæ suppeditauit cum breuitas temporis in tam magno opere, tum ingenij mei vis atque facultas (quam perexiguam esse confiteor) ex tam lato theologicarum lectionum campo consequi potuit. Quod si vehementior tibi, aut etiam durior quibusdam in locis visus sum, quā fortasse expectaueras, memento quantis criminationibus & quam contumeliosis me in libro tuo proscideris, quorum minimam partem, (tametsi illa quoque grauissima erant) cum adhuc Spiræ essem, cognoueram, occupatus alijs negocijs, donec sum domum reuersus. Impietatis, blasphemiæ, sacrilegij, idololatriæ nomina, tu leuia familiariaq; esse putas? omitto mendacij atq; calumniæ in apertissimis rebus exprobrationem, aliaque multa, quæ singulari intemperantia atque inciuilitate in studia mea cauillatus es. Ad hæc quis vti possit oratione lenta supinaq; in causa tam graui ac seria? cuius nulla pars est, quæ satis digna vociferatiōe tractari possit? Audio paratos esse, non vnum, sed plures, non tyrones, sed lanistas, qui pro te mihi respondeant. Te minime contempsi vnquam, neque hodie contemno. Quod si alius prodierit aduersum me, & digna protulerit, non so-

lum

lum non irascar illi, sed etiam gratias agam, qui me vel erudierit scriptis suis, vel hoc saltem facere conatus sit. Sin rixas aut conuitia in rebus tantis tanque apertis quæsierit, efficiam, vt sentiat me minime cupidum quidem esse huiusmodi certaminum, sed in tempore tamen necessario, neq; ignauum contra aduersarium, neque imparatum contra litigatorem fore.

FINIS.

Errata sic corrige.

F.2.facie 1.versu 13. lege, O sanctam ruditatē. Item F. 3. fac.2.vers. 21. dele signum interrogationis. M. 1. fac.2.vers. 19.offundere. M.3.fac.2.vers.vlti.vt tu dicere soles. X.1.fa.2.vers.2.differuisti. Z.1.fa.2.ver.2.contra te. Bb.1.fa.2.vers. 8. At diabolum. Ff.3.fa.1.ver.19. prætermittatur. Ff.4.fa.1.vers.5.inchoatam. Gg.3.fa. 1.vers.vlt. Hanc autem domum. Ii.4.fac.1.vers.6.functione. Kk.2.fac.2.ver.20.extraprouincialium.